Sierakowski Stanislai: Conclusiones ex universa Philosophia.

CONCLVSIONES EX VNIVERSA PHILOSOPHIA.

SVB AVSPICIIS ILL^{MI} PRINCIPIS LAVRENTII GEMBICKI ARCHIEPISCOPI GNESNENSIS, &c. &c.

PROPVGNANDÆ CALISSII IN ARCHIEPISCOPALI COLLEGIO KARNKOVIANO SOCIET: IESV,

A STANISLAO SIERAKOWSKI Philosophiæ Auditore.

CRACOVIÆ,
In Officina Andreæ Petricouij, S. R. M. Typogr.
Annô instauratæ salutis CIↃ IↃ CXIIX.



ILL^MO ET RNDIS^MO DOMINO,

D. LAVRENTIO GEMBICKI,

DEI SEDISQ. APOSTOLICÆ GRATIA ARCHIEPISCOPO GNESNENSI, LEGATO NATO, REGNI POLONIÆ *Primati, primoq́ʒ Principi.*

Stanisl: à Bogusławice Sierakowski, Fælicitatẽ.

AB operosis in Sapientiæ ludo ventilationibus accepta missione, ad Te venio Princeps Ill^me duo allaturus, Gratiarum actionem, & Donum. Illam, cum vniuersâ Archiepiscopalium iuuentute Athenarum, quæ in Tuo auspicatissimo Calissium aduentu, voce, gestu, animoq́ʒ triumphauit. Vidisti Archipræsul Ill^me strenuos totius Nobilitatis Polonæ pugiles, in hoc celebri literarum campo, magnâ contentione velut ad Elai metas desudantes, eosq́ʒ ad omnem virtutis eruditionisq́ʒ palmam, grauissima oratione hortatus es. Acceperunt & illi abs Te, in quo omnia omnibus maiora laudibus suspexerunt, vel præconium, vel imperium: atq́ʒ adeò iam Tuorum in se magnitudinem meritorum agnoscentes, Tibi pro hisce officijs, vnâ mecum gratiam referunt quam

 possunt,

possunt, non quam debent. Quo nomine gratiarum feram actionem, vides. Donum quoque considera. En vitæ humanæ magistram Philosophiam, ante sacros Tuos depono pedes. Libens ad Te illa venit. Quid mirum est? in notum sibi domicilium, ac sedem. quippè cui paucis ante mensibus, quasi quædam exploratrix Physiologiæ à me præmissa portio, securam in Tuæ beneuolentiæ portu stationem communiuit. Ad Primatem Regni huius florentissimi procurrit. quidni faciat? in quo genitiua quædam sua veneratur agnomina. Tu siquidem in Polonis Patribus Primus Princeps es: Illa in omnibus reliquarum artium tribubus primam promeretur adoream. Quapropter Tuam se illigare contendit in FASCIAM, *non vt vnita sua fortior euadat virtus, sed vt ijs, quos Mars fortissimus ante tot annorum Olympiadas* GEMBICIANAM *prosapiam cinxit ornamentis, nostra quoque Pallas laudis iuxta ac honoris tributa persoluat: & quæ Maiores Tui bellicorum facinorum gloria impleuerunt, sapientiæ quoque laude cumulata, in posteritatis memoria conquiescant. Suscipe igitur Princeps Ill*^me^ *hanc vel Tuæ in nos beneuolentiæ psaltriam, vel nostri in te officij, ac potius pietatis obsidem Sapientiam: & illi tum Nominis Tui, tum amplissimæ Authoritatis splendore, veluti* FASCIAM *quandam è Tua deriuatam, famæ ac gloriæ circumda celebritatem. Potes hoc, qui dignitatis eruditionisque sole, duo amplissima imperia collustras, Humanum, & Diuinum. Ego certè, ac omnes ij, qui mei, immò qui Tui potius sunt, benignissimis tanti Principis vsque adeò subleuati fauoribus, Rem, fortunamque nostram Tibi vel acceptam referimus, vel debitam consecramus.*

CONCLVSIONES PHILOSOPHICÆ.

DE PHILOSOPHIA IN COMMVNI.

1. PHilosophia olim iuxta nominis Etymologiam, studium fuit amorué Sapientiæ; iam à Pythagoræ temporibus, est perfecta virtus humani intellectus, qua disponitur ad sui optimum, nempe ad verum semper cognoscendum, vel pressiùs, est vna ex subiectis partibus virtutis intellectualis Scientia; notitia videlicet quædam siue actualis, siue habitualis, clara & euidens quarumuis rerum per suas causas.

2. Ex priscis Philosophis varij variè Philosophiam partiti sunt. Præ cæteris commoda illa est diuisio, tum ab alijs, tum nominatim à Platone, & ab Aristotele vsurpata, in Naturalem, Moralem, Rationalem. Naturalis, ducta appellatione à naturâ, quòd eius potior pars, quamuis non nobilior, de natura est, Metaphysicam, Physicam, & Mathematicam comprehendit. Moralis, de morum honestate est; & distribuitur, in Ethicam, Oeconomicam & Politicam. Rationalis, quæ ratione vtitur in ipsis operationibus rationis dirigendis, Logica seu Dialectica est.

3. Philosophiam quidam primùm inuentam putant à Græcis, alij à Chaldæis. Verius dicitur multò digniorem & antiquiorem Philosophiæ originem esse. Deus ergo O. M. initio mundi, primis humani generis propagatoribus inter alia Naturæ & Gratiæ dona, præclaram rerum cognitionem indidit, à quibus in filios deinceps, ac posteros bonæ artes promanârunt; & tandem longâ annorum serie, ad Hebræos, & Chaldæos; ad Ægyptios, ad Græcos; atq; adeò ad eos, qui primùm Philosophiam in mundum inuexisse putantur, aliqua initia eius peruenerunt, quæ postea paulatim perfecta sunt.

4. Omnes homines, vt rectè Aristoteles docuit, naturâ scire desiderant: habent enim ad scientiam appetitum, tum innatum, tum elicitum, necessa-

neceſſarium quoad ſpeciem: vt ſcientiam, quà ſcientia eſt, odiſſe non poſſint. Nulla tamen in nobis ſcientia aut Philoſophiæ pars ineſt à naturâ, ſed ad eam ſe habet intellectus noſter, tanquam tabula raſa, in qua nihil expreſſum eſt.

5. Habitus primorum principiorum qui dicitur Intellectus, non eſt idem re cum potentia intellectiua: non eſt aliquid animæ rationali infuſum, vel ab ea reſultans inſtar proprietatis in primo inſtanti creationis. Habitus etiam concluſionum ex principijs deductarum, qui dici ſolet ſcientia habitualis, non eſt in nobis per reminiſcentiam, nec per conuerſionem mentis ad ſe ſeparatam aliquam Intelligentiam nobis aſſiſtentem; non conſiſtit in aliquo negatiuo, non in phantaſmatibus.

6. Tam habitus primorum principiorum, quàm habitus concluſionum, ſunt qualitates genitæ in nobis ex actuum exercitio. Diſtinguuntur à ſpeciebus intelligibilibus etiam corroboratis, & coordinatis: dici tamen poſſunt ſimilitudines virtuales actuum, ad quos inclinant.

7. Difficultas, quam in ſcientiarum acquiſitione, & in attingenda veritate experimur, ita prouenit vniuerſaliter ex imperfectione Intellectus noſtri, vt reſpectu quorundam obiectorum augeatur ex ipſorum minima entitate, & imperfectione, qua parum efficacia ſint ad potentias ſcientiæ deſeruientes immutandas. Reſpectu verò rerum ſuperiorum homine, cuiuſmodi ſunt Deus, & Intelligentiæ creatæ, dici non debet hanc difficultatem prouenire ex ipſis, ſed ex nobis.

8. In acquirenda ſcientia per diſciplinam alterius, docens, non eſt ſimpliciter cauſa efficiens cognitionis in diſcente, ſed ſolùm proponit obiecta ſcibilia, & manuducit intellectum eius in cognitionem rei ignotæ ex nota, & ex principijs quibus alioqui non ita facile aſſentiretur. Omnis doctrina diſciplinaq; diſcurſiua, fit ex præexiſtenti cognitione, non ſolùm dirigente; ſed etiam agente.

9. Poteſt Intellectus noſter multarum rerum ſcientiam perfectam in ſuo genere conſequi: neq; obſtat rerum quæ ſub ſenſus cadunt, & à quibus omnis noſtra cognitio incipit viciſſitudo aut mutabilitas. Non poteſt pro ſtatu vitæ præſentis acquirere, naturæ viribus, omnes omnium rerum ſcientias: immò neq; omnes collectiuè veritates aſſequi, quæ ex ſenſibilibus cognoſcibiles ſunt.

10. Non ſolùm Theologia ſupernaturalis; ſed etiam aliqua ſcientia totalis merè naturalis poteſt eſſe ſimul practica, & ſpeculatiua formaliter. Scientia Practica, eſt de obiecto operabili, vt operabile eſt, atq; adeò ex naturâ

natura sua est directiua operis præcipiendo. Diuisio virtutis intellectualis in Intellectum, Sapientiam, Scientiam, Prudentiam, & Artem, non necessario est in membra distincta materialiter, aut realiter.

11. Sciētia à priori, & propriè dicta, obiectū habet necessariū. Potest esse de agibilibus & factibilibus. Est interdū ex causa solùm virtuali. Sciētia à posteriori potest esse ex medio singulari, corruptibili, & contingenti.

12. Potest intellectus noster circa idem enunciabile habere simul iudicium scientificum, & erroneum: itemq; scientificum, & opinatiuum per diuersa media, si opinatiuum abstrahat ab actuali formidine. Ad iudicium scientificum, quod sit ex principijs merè naturalibus, requiritur necessariò & essentialiter certitudo & euidentia intrinseca consequentis, & consequentiæ.

EX METAPHYSICA.

13. METaphysica, prima Philosophia, naturalis Theologia, & vera sapientia sapienter nuncupatur: non includit formaliter, aut virtute intellectum siue habitum primorum principiorum. Non distinguitur à scientia nisi tanquam species perfectissima habens se ad ipsam per additionem: est in nobis speculatiua non Practica. Non subalternantur illi reliquæ scientiæ.

14. Si non darentur substantiæ abstractæ, & spirituales, Physica, vt rectè dixit Aristoteles, esset prima Philosophia; ac proinde non daretur Metaphysica. Hinc tamen non sequitur solùm Deum, aut solam substantiam abstractam ac spiritualem, aut quidquam, quod minus latè pateat, quàm ens vt ens, esse subiectum attributionis huius scientiæ.

15. Non est Metaphysicæ considerare omnia entia, nisi secundum rationes abstrahentes ab omni materià. Non sunt admittendæ plures speciè Metaphysicæ totales: quarū vna, transcendentia solùm prædicata contempletur: alia intelligentias, &c. Principium primum omnium & euidentissimum, quod meritò ab Aristotele vocatur principium principiorū, est illud in Metaphysica; Impossibile est idem simul esse, & non esse; quod non est idem formaliter, cum illo: Quodlibet est vel non est.

De Ente in communi eiusq; attributis.

16. COnceptus formalis, quo concipimus Ens in communi, est vnus tum in ratione rei; tum in ratione imaginis. Conceptus obiectiuus

ctiuus illi respondens ita præcisus est ab inferioribus, vt differentias ipsorum actu non includat: neq; tamen Ens Deo & Creaturæ, Substantiæ, & Accidenti commune est vniuocè, sed analogicè; idq; præcipuè ob transcendentiam.

17. Ens in communi non distinguitur realiter, vel ex naturâ rei à suis inferioribus; immò essentialiter & quiditatiuè in ipsis, atq; ipsorum differentijs includitur. non habet passiones propriè dictas: habet tamen attributa conuertibilia, quæ per modum passionum de eo prædicantur, quæq; ipsum includunt essentialiter. Hæc tria sunt simplicia, ad quæ alia reuocantur: Vnum, Verum, Bonum.

18. Vnum transcendens, quod dicitur esse attributum vniuersale Entis, latius patet, quàm vnum indiuidualiter. Est ipsum Ens vt indiuisum in plura talia. Non est de ratione formali eius indiuisio in partes, nec diuisio à quolibet alio. Indiuisio, quam dicit, non est propriè priuatio: habet tamen aliquam similitudinem cum priuatione.

19. Principium vnitatis indiuidualis adæquatum, Metaphysicum quidem, est differentia indiuidualis, siue hæcceitas, quæ in rebus materialibus ratione distinguitur à naturâ specifica: Physicum autem est ipsamet rei entitas, siue simplex, siue composita. Meritò tamen dicitur à Philosophis, materiam signatam esse principium indiuiduationis primum, & radicale, tum in substantijs, tum in accidentibus materialibus.

20. Quòd aliquis effectus in indiuiduo, hic, & nunc producatur non alius, ab agente naturali, referendum est non in solam determinationem causæ primæ; sed in materiam sic dispositam, talibus conditionibus & circumstantijs affectam, in naturam ipsius agentis naturalis, &c. Vnde idem numero effectus neq; à duobus agentibus totalibus eiusdem ordinis diuisim, nec ab eodem agente in diuersa materia, vel cum alijs concausis, naturæ viribus effici potest.

21. Idem numero effectus sæpè efficitur à pluribus agentibus eiusdem ordinis partialibus; itemq; à pluribus agentibus totalibus diuersi ordinis. At eum à pluribus agentibus eiusdem ordinis simul, & adæquate concurrentibus, vel propter plures fines totales non subordinatos produci, implicat contradictionem.

22. Ens permanens, siue corruptum, siue propriè annihilatum, non potest naturæ viribus sed solùm per absolutam Dei potentiam reproduci. Vnde hominis mortui resurrectio opus miraculosum est. Ens verò successiuum (vt Motum, & Tempus) quatenus tale, idem numero quod pertransijt, reparari omnino repugnat.

23. Acciden-

23. Accidentia aliqua solo numero diuersa, nullâ potentiâ in eodem subiecto secundùm eandem partem simul esse possunt; aliqua simul multiplicantur in eodem subiecto etiam naturaliter. Huius posterioris generis sunt species intentionales, & actus vitales.

24. Quæ dicuntur distingui essentialiter, & quæ ab Aristotele ponuntur distingui ratione, id est definitione, interdum realiter; interdum nostris solùm conceptibus inadæquatis distinguuntur. Non datur distinctio ex naturâ rei diuersarum formalitatum quæ sint idem realiter, nec distinctio modalis, media inter realem & rationis.

25. Signum distinctionis realis nec semper, nec solùm est separatio, aut separabilitas, siue mutua, siue non mutua. Ex eo quòd de duobus verificentur contradictoria, & quòd vnum ex ipsis sub suâ ratione formali dicatur incipere, aut desinere, altero non incipiente, aut desinente, non semper infertur ea distingui realiter: nisi forte ratione alicuius extrinseci connotati.

26. Verùm transcendens superaddit Enti denominationem extrinsecam à cognitione; idem enim est quod Ens cognoscibile vti est, vel vt conforme, aut conformabile cognitioni perfectæ de ipso. Bonum transcendens, non est idem per synonimiam cum perfecto, siue absolutè, & in omni genere, siue in vno aliquo genere: sed est ipsum Ens, vt conueniens, vel appetibile.

27. Ens multifariam diuidi solet. Celeberrimæ & maximè immediatæ sunt illæ duæ diuisiones. Prima in Ens à se, siue increatum, qualis est solus Deus, & Ens ab alio, seu Creatum, cuiusmodi est quidquid est, & Deus non est. Altera in Substantiam, & Accidens; siue in Ens per se, & in alio. Prior ex his diuisionibus his etiam modis effertur, in Ens infinitum & finitum; in ens per essentiam, & per participationem; Deum, & Creaturam. Posterior sumitur communiter vt subdiuisio Entis ab alio, non verò vt etiam comprehendit supremam substantiam Deum O. M.

28. Diuisio in decem summa genera prædicamentorum vulgata, solùm Entia creata complectitur. Diuisio in ens actu & potentiâ, non tam est in diuersas species entis, quàm in diuersos status entis creati. Essentia entis creati antequam producatur atq; adeò antequam existat, non est ens actu in seipsa; sed solùm ens in potentia. Vnde non est dicenda simpliciter ens, sed secundùm quid ens, & simpliciter non ens.

29. Essentia creaturæ secundùm se, neq; postulat esse actu, neq; in potentia, sed est indifferens ad vtrumq; statum; ideòq; dicitur distingui ab

existentia

existentia exercita realiter saltem permissiuè. Eadem verò essentia actualis, seu sumpta vt actu ens, idem est realiter cum existentia exercita: neq; D. Thomas contrarium docuit.

De Deo Optimo Maximo.

30. PRimum ens Deum O. M. esse, seu existere, prima Philosophia à posteriori demonstrat, neq; enim hoc per se notum est quò ad nos; licet sit per se notum secundùm se. Demonstrat etiam tum à posteriori, tum à priori Deum esse vnum, simplicissimum, indefectibilem, omnis mutationis expertem, immensum, infinitum, omnipotentem, omniscium, omnes perfectiones vel formaliter, vel eminenter continentem.

31. Deus est primum mouens, primum efficiens, primum exemplar, vltimus finis omnium Entium reliquorum. Agit liberè non ex necessitate naturæ: quidquid contra senserit Aristoteles. Si per impossibile in Deo non esset libertas, nec in creatura esset.

32. Ratione naturali euidens est permulta entia ex ijs quæ sub nostram naturalem cognitionem cadunt, propriè creata esse, atq; adeò creationem propriè dictam, & possibilem esse, & de facto dari, quod etiam ipse Aristoteles assecutus est. quanquam an detur creatio cum nouitate essendi dubitasse potius videtur Aristoteles, quàm cognouisse.

33. Ita solius Dei proprium est creare, vt potentia creandi per modum causæ principalis, creaturæ, aut alicui quod Deus non sit, nullo modo communicari possit: etiamsi fingamus, eiusmodi virtutem non extendere se ad omne obiectum creabile, sed ad aliquod tantùm, subordinariq; Deo in esse, & operari.

34. Creatio propriè dicta, est productio rei ex nihilo. Actiuè sumpta identificatur omnipotentiæ Dei creantis, quæ seipsa, non autem mediante aliqua actione ex natura rei distincta, dat esse effectui creato. Passiuè sumpta identificatur effectui creato, qui seipso procedit à Deo ex nihilo.

35. Creari conuenit non solùm substantijs simplicibus, vt Intelligentijs, animæ rationali, materiæ primæ: sed etiam compositis. Cœli, & elementa initio mundi creata sunt propriè. Formæ substantiales materiales, & accidentia omnia, etiam supernaturalia, non propriè creantur; nihilominus tamen de absoluta Dei potentia creari possunt. Non est de ratione creationis nouitas essendi.

36. Nonnulli ex SS. Patribus ex eo quòd Filius Dei, aut Verbum diuinum ab

uinum ab æterno est, probant ipsum non esse creaturam, sed eiusdem cum Deo Patre naturæ Deum. Bona est ipsorum illatio: malè verò inde aliqui deducunt ex sententia SS. Patrum implicare contradictionem vt creatura, absolutè loquendo, ab æterno fuerit, seu nunquam cœperit.

37. Res creatæ atq; adeò omnia quæ Deus non sunt, quandiu sunt, à Deo directè & immediatè dependent in genere causæ efficientis, finalis & exemplaris; ita, vt per solam suspensionem, aut negationem conseruationis eius, possint in nihilum redigi. Neq; vlla creatura dari potest, etiam de potentia absoluta quæ sit exēpta ab hac immediata dependentia à Deo.

38. Res aliquæ non à solo Deo, sed à causis etiam creatis conseruantur, tum efficienter & finaliter, tùm in alijs causandi generibus, quæ Deo conuenire nequeunt, cùm includant imperfectionem. Formæ substantiales & substantiæ creatæ omnes à solo Deo pendent in cōseruatione directa; quæ fit per efficientiam, non autem à cœlo, vel ab Intelligentijs.

39. Concurrit Deus ad omnem effectum & actionem causæ creatæ: ita, vt eadem numero actio, quæ est à causa creata, sit etiam immediatè à Deo. præter hunc verò concursum Dei simultaneum cum causa creata, non est ponendus concursus præuius, quo illa physicè præmoueatur, & prædeterminetur ad agendum.

40. Si ad omnes actiones creatas requireretur concursus Dei præuius physicè determinatiuus causarum secundarum, creatura rationalis nunquam posset operari liberè quoad exercitium, aut quoad specificationem: nulla etiam ipsius actio esset digna præmio, aut pœna.

41. Deus agentibus creatis liberis, exhibet suum concursum indifferentem in actu primo, quo ex intrinseco dominio possint vti, & non vti, & ad varias actionis species vti: de facto tamen etiam hæc agentia id solùm efficiunt, quod Deus ex æternitate ab illis faciendum vel præordinauit, vel permittere voluit.

42. Actiones creaturarum pendent immediatè à Deo in genere causæ finalis, quatenus ab ipsomet Deo vt primo agente, in se ipsum vt in vltimum finem referuntur; Vt verò eædem actiones sunt efficienter ab ipsis creaturis, habent Deum pro vltimo fine saltem virtute, aut implicitè.

De Substantia creata, & Accidente.

43. SVbstantia, primum ex summis generibus omnem Substantiam creatam, aut finitam etiam incorruptibilem & incorpoream comprehendit.

prehendit. Diuisio Substantiæ in primam, & secundam, dici potest accidentis in subiecta, vel accidentis in accidentia, vel subiecti in accidentia. Non est analoga sed vniuoca.

44. Prima Substantia in rebus creatis, non est idem conuertibiliter quod suppositum. Persona ex primaria significatione non qualitatem, aut laruam hystrionicam significat: sed suppositum naturæ rationalis. Subsistentia olim significabat suppositum; nunc sumi solet pro ratione formali essendi per se in Substantia, siue Completa, siue Incompleta.

45. Potest natura Substantialis creata completa de absoluta Dei potentia existere & non per se, sed in alio: cui quasi innitatur existere atque adeò non subsistere. An autem ex hoc sequatur suppositum creatum superaddere naturæ aliquam entitatem realiter ab illa distinctam, an verò compleri sola negatione dependentiæ, aut sustentationis ab alio; PROBLEMA esto. Vtraq; certè sententia sufficienter saluat definitiones Patrum & Conciliorum in Mysterijs fidei; vtraque fundamentum habet in doctrina D. Thomæ.

46. Anima rationalis, siue in corpore existens, siue à corpore separata, propriè subsistit. Formis substantialibus materialibus & materiæ primæ, non debetur propria subsistentia. Partes integrantes suppositorum materialium, eo modo, quo sunt in toto, suas habent partiales subsistentias, ex quibus integratur vna subsistentia totius integri.

47. Dari Intelligentias finitas, Substantias spirituales, creatas & completas, siue Angelos verisimiliter ex motu cœlorum; efficaciùs ex alijs sensibilibus experimentis colligimus. Non sunt omnino immobiles, non omnis compositionis expertes, aut puri actus, neq; entia necessaria; quidquid senserit Aristoteles.

48. Huiusmodi Intelligentiæ potentias habent operatiuas realiter à Substantia distinctas. Intelligunt res naturales sine discursu. Viuunt vitam naturâ suâ immortalem. Omnes illas, ac singulas, specie differre probabilius est.

49. Quamuis accidens Physicum explicari & definiri soleat per inhærentiam siue actualem, siue aptitudinalem: neutra tamen est de essentia, siue primo conceptu Entitatis illius absolutæ, quæ dicitur accidens; sed solùm proprietas eaq; ratione, non re distincta. Potest diuina virtute accidens aliquod in rerum natura existere, & nulli inhærere.

EX PHY-

EX PHYSICA.

De Principijs rerum naturalium.

50. SVbiectum adæquatum ſcientiæ Phyſicæ non comprehẽdit ſub ſe tanquam ſpecies Intelligentias, aut ſpirituales Subſtantias; ſed res ſolùm corporeas, motus Phyſici, ac ſenſibilis capaces. Quamuis autem in modo ſolùm loquendi differre videntur, ij qui huiuſmodi ſubiectum efferunt nomine corporis, vel corporis naturalis, aut mobilis, vel ſubſtantiæ entiſuè naturalis, aut mobilis: nobis tamen cum ijs & ſentire, & loqui libet, qui dicunt ens mobile vt mobile, eſſe ſubiectũ attributionis, quod Phyſica contẽplatione reſoluit ad prima vſq; principia, & Elementa.

51. Principia prima, & vniuerſaliſſima Entis mobilis ex tranſmutatione inueſtigata in fieri quidem, ſunt, materia, forma, & priuatio; in facto eſſe autem, & componentia, materia & forma. Cùm hæc principia deſcribuntur: Quæ non fiunt ex alijs, nec ex alterutris; ſed ex ipſis omnia: Particula, *Ex*, ter repetita, ſemper eodem modo ſumitur, vt dicit habitudinem communem principij. Ariſtoteles in I. Phyſ. primò & per ſe agit de principijs quæ dicuntur cauſalitatis, non verò communitatis.

52. Datur materia prima, rectèq; definitur à Phyſico: Subiectum primum vniuſcuiuſq;, ex quo fit aliquid, cùm inſit, non ſecundùm accidens; & ſi corrumpitur aliquid, in hoc abibit vltimum. Eſt ingenerabilis & incorruptibilis; ſed corruptibilitatis, & generabilitatis rerum, quibus ineſt prima radix & origo. Appetit formas, quibus caret & quas recipere poteſt. Nulla forma naturalis datur, quæ materiæ omnium aliarum tollat appetitum.

53. Materia prima non habet aliquam formam corporeitatis ſibi coæuam, & inſeparabilem à formis ſpecificis diſtinctam: non eſt ſecundùm ſe corpus trinè dimenſum; aut corpus, quod ſit ſpecies in prædicamento Subſtantiæ. non eſt actus formalis, aut entitatiuus, aut per ſe ſubſiſtens, nec vllum eiuſmodi actum eſſentialiter includit; ideoque meritò dicitur pura potentia.

54. Probabilius eſt, materiam primam nullâ potentiâ exiſtere poſſe ſine omni forma ſubſtantiali collectiuè. Potentia ad formas ſiue ſubſtantiales, ſiue accidentales, non eſt accidens aliquod abſolutum realiter, aut ex natura rei ab ipſa diſtinctum, neq; tamen ſecundùm omnia quæ dicit, eſt prædicatum eſſentiale ipſius in primo modo dicendi per ſe.

55. Præter materiam primam conuincitur ex transmutationibus admittendam esse formam substantialem, non solùm in homine, sed in omni alio corpore sublunari. Non est autem forma substantialis, certa accidentium commistio, aut complexio; sed vera substantia, licet incompleta; non est tota rei quiditas & essentia, neq; id vnde tota rei quiditas & essentia desumitur, sed pars solùm præcipua vltimò determinans & specificans naturale compositum.

56. Forma substantialis non præexistit actu in materia ante generationem secundùm se totam, aut secundùm aliquam partem, vel inchoationem. Non inducitur in materiam ab Idea separata, aut ab Intelligentia aliqua cæteris postrema & ignobiliore Cholcodea, non producitur immediatè à cœlo.

57. Forma substantialis immaterialis, aut spiritualis, cuiusmodi est anima rationalis, immediatè à Deo creatur in materia disposita, reliquæ quæ materiales sunt cùm modo naturali fiunt, educuntur de potentia materiæ, id est acquirunt esse actione agentis naturalis, dependenter à materia in fieri, & esse.

58. Priuatio secundùm se, non est Ens reale, aut rationis. Est negatio formæ in subiecto apto. Est principium rei naturalis per modum termini à quo. Cùm actu principiat, iam non est in materia. Multiplex est in materia, pro multitudine formarum quæ in ea non sunt, & recipi possunt, numero, specie, & genere diuersarum.

De Natura, & Arte.

59. NAturæ nomine interdum intelligitur Deus, interdum rerum omnium vniuersitas, sæpè vis agendi ab anima contradistincta; vel necessitas contradistincta à libertate: nonnunquam complexio ac recta dispositionum animalium constitutio: aliquando tota cuiusq; rei essentia, aut quiditas. Physicus Naturæ nomine intelligit internum principium operationum in re naturali, siue in corpore substantiali.

60. Naturam dari in hac significatione, ita manifestum est posita apprehensione terminorum; vt, si quis velit id demonstrare meritò Philosophus pronunciarit ridiculum, & signum non potentis iudicare inter per se notum, & non per se notum: potest nihilominus absolutè loquendo id demonstrari tum à posteriori, tũ à priori, tũ per deductionẽ ad impossibile.

61. Quamuis Natura sit principium tum motus propriè dicti, tum o-

perationis instantaneæ, siue immanentis, siue transeuntis: rectè tamen Philosophus naturam descripsit Principium, & causam motus eius in quo est primum, per se, & non secundùm accidens; in qua descriptione nomine principij non solùm passiuum, aut actiuum significatur, sed aliquid ab vtroq; abstrahens.

62. Nulla forma accidentalis, siue naturalis, siue artificialis Naturæ definitione comprehenditur; sed neq; priuatio, neq; compositum ex materia & forma, neq; forma assistens vt Intelligentia cœlo, & nauta naui. Omnis forma substantialis atq; adeò etiam anima rationalis, vt rationalis, est Natura.

63. Materia prima participat quidem intrinsecè rationem Naturæ, & est natura distincta à forma, sed non sine dependentia à forma. Respectu mutationum & operationum, quæ sunt contra inclinationem formæ, & totius compositi, non actu, sed solùm potentia, natura est.

64. Siue cœlum ex materia & forma physicè componatur, siue substantia simplex sit, verè & propriè in cœlo natura est. Quamuis autem cœlum circulariter moueatur non à seipso, sed ab Intelligentia; dici non debet eum motum esse ipsi violentum, aut neutrum, sed naturalem.

65. Ars humana plurimos naturæ effectus potest verè producere, sed non aliter, quàm applicando naturalia actiua passiuis. Magorum ranæ, ac serpentes; statuæ Dædali, huc & illuc sponte discurrentes; aurei pincernæ in conuiuijs pocula ministrantes, aliaq; varijs ætatibus in prodigijs ac præstigijs habita, à causis naturalibus industriâ agentis intellectualis applicatis, verè effici potuerunt.

66. Metalla viliora, aut res alias, in aurum, & argentum transmutari per artem applicantem causas naturales, non est impossibile physicè loquendo. Probabilius tamen est Alchimistas nunquam efficere, aut moraliter efficere posse verum aurum: Vnde ipsorum ars & inutilis perniciosaq; est Reipublicæ: & meritò dicuntur spondere quas non exhibent diuitias, pauperes Alchimistæ.

De Causis.

67. Causa minus latè patet quàm principium, latiùs quàm elementum. Describi potest ex Aristotele. Propter quam aliud primò & per se est, aut, principium à quo aliud per se pendet. Quadruplex in vniuersum est; Efficiens, Finalis, Materialis, & Formalis. Diuidi potest imme-

test immediatius, in intrinsecam & extrinsecam.

68. Omnis causa est prior non tempore sed naturâ suo effectu, non tamen ab eo semper ita independens est, vt possit sine ipso existere. Eadem res tum respectu eiusdem effectus, tum respectu diuersorum, plurium causarum munera interdum exercet; quin etiam & respectu eiusdem nonnunquam simul est causa & effectus in diuerso genere.

69. Causalitatem causæ, seu id, quo formaliter aliquid constituitur causa, multi putant esse entitatem aliquam absolutam, distinctam à virtute quæ est actus primus causæ, & ab effectu; per eam verò entitatem aut modalitatem, tum causam dare esse effectui, tum effectum à causa dependere. Meliùs dicitur non esse necessariam eiusmodi entitatem, cùm causa per seipsam, aut per suam virtutem immediatè in effectum influere, & effectus per seipsum à causa dependere possit.

70. Causa materialis latius patet, quàm materia prima. Causa formalis latius patet quàm forma substantialis. Materia prima causat vt plurimùm formam substantialem in genere causæ materialis, & causatur ab illa in genere causæ formalis.

71. Tam materia prima, quàm forma substantialis causant in suis generibus compositum physicum; quod est alia res ab ipsis tum seorsim, tum aggregatim sumptis, etiam vnitis: ad causandum requirunt dispositiones non indigent vnione aliqua substantiali modali, realiter, vel ex natura rei ab ipsis distincta. Causalitates materiæ & formæ in compositum, à solo Deo suppleri repugnat.

72. Quantitas nec est, nec esse potest naturæ viribus causa materialis, aut subiectum proximum reliquorum accidentium. Accidentia omnia corporea inhærent immediatè materiæ, sed cum dependentia à forma in sustentari; ideòq; meritò dicuntur esse in composito.

73. Causa efficiens, quæ ad Physicam considerationem per se spectat, rectè describitur: Id vnde principium mutationis primum, aut quietis. Efficiens principale est, quod continet in sua virtute effectum: instrumentale, quod producit effectum in virtute alterius, cui subordinatur in agendo. Creaturæ non semper agunt vt instrumenta Dei, sed sæpè sunt causæ principales. Accidens etiam in productione accidentis sibi similis, vel inferioris rationis, est instrumentum, non verò causa principalis.

74. Idea interna, est forma in mente existens quam effectus imitatur ex intentione agentis determinantis sibi finem. Consistit non in conceptu obiectiuo, sed in formali operis efficiendi. Respectu eiusdem operis est causa

est causa efficiens, vel potiùs ad causam efficientem reducitur.

75. Finis est verè & propriè causa, vt id cuius gratia, vel cui aliquid fit. Virtus causandi in ipso est bonitas per se expetibilis, vel vera, vel saltem apparens. Bonum vtile quatenus vtile atq; adeò medium, quatenus medium, non potest esse causa finalis.

76. Sola agentia intellectualia agunt propter finem formaliter; aliorum verò agentium operationes, & effectus propter finem sunt, vt substant, directioni primi agentis. Finem non cognitum amari aut appeti propriè q; causare aliquid finaliter, impossibile est. Causalitas finis, circa media solùm exercetur, non verò circa actus, qui immediatè circa finem versantur, nisi fortè assumantur vt media ad finem.

77. Fortunam, & casum, parùm philosophicè aliqui irriserunt, tanquam voces inanes, quasi nihil fortuitò aut casu contingat. Impiè verò, & superstitiosè alij tanquam numen venerati sunt. Sapientiùs ij qui inter causas veri numinis administras Fortunam, & Casum numerârunt, & Aristoteles qui inter causas efficientes per accidens recensuit, illam quidem in ijs quæ operantur propter finem liberè, aut ex electione; hunc in ijs, quæ operantur naturaliter.

78. Cùm nihil in rerum natura sit, aut esse possit, quod Dei scientiam, ac prouidentiam fugiat, Deus nunquam est, vel esse potest Casus, aut Fortuna. Cœlum aliquando est Casus. Homo sæpè est; Intelligentia verò creata potest interdum esse Fortuna.

79. Monstrum est naturalis effectus raro contingens, à solita secundùm speciem dispositione degenerans, propter aliquod impedimentum: vt propter materiæ copiam, vel inopiam, qualitatum intemperiem, loci generationis angustiam, &c. Non est effectus propriè, & simpliciter casualis, aut fortuitus.

80. Monstrum non est præter intentionem causæ particularis impeditæ, vt sumitur simul cum impediente: nec præter intentionem Causarum vniuersalium. Vnitas vel pluralitas monstri, seu, sitne monstrum vnum vel multiplex in animalibus, colligi debet ex vnitate, vel pluralitate illius partis corporis, quæ est principium vitæ.

81. Datur Fatum, si hoc nomine intelligatur cum Boetio; Immobilis rebus mobilibus inhærens dispositio, per quam diuina prouidentia suis quæq; nectit ordinibus: vel ordo causarum, diuinam prouidentiam, partim necessariò, partim liberè; sed infallibiliter exequentium. Præstat tamen Fati nomine, ne in hac quidem significatione vti.

De Communibus Affectionibus rerum naturalium.

82. Motum potissimam rei naturalis affectionem, qui esse negârunt, næ illi malè philosophando sensum, & experientiam certam pro fallacibus rationibus dimiserunt. Rectè definitur: Actus entis in potentia, vt in potentia; qua definitione Aristoteles solùm mutationes successiuas, & continuas comprehendere voluit. Generatio, & corruptio substantialis, hac eadem definitione definiuntur, atque adeò in sententia Aristotelis sunt mutationes successiuæ, & continuæ.

83. Motum propriè, & per se acceptum non contradistinguit Philosophus à mutatione substantiali, quòd ille successiuus & continuus; hæc instantanea sit: sed quòd ille habeat per se loquendo, subiectum idem completè existens sub termino A quo, & sub termino Ad quem; hæc verò, non item; Et quòd ille sit inter terminos contrarios, hæc inter contradictorios. Motus propriè dictus, ad tria solùm prædicamenta est, ad Quantitatem, Qualitatem, & Vbi.

84. Actio transiens creaturæ prout de ea Aristoteles & Peripatetici passim loquuntur, est in passo, sed connotat agens. Identificatur semper passioni, quòd si successiua sit, identificatur etiam motui. Dari potest aliqua actio, & aliqua passio, quæ nulli motui, aut mutationi successiuæ, vel instantaneæ identificetur. Productio & conseruatio passiua eiusdem numero effectus, idem sunt realiter, & ex natura rei, etiamsi contingat variari agens, & productionem esse ex subiecto, ac naturalem; conseruationem verò non ex subiecto, ac miraculosam, vel contra. Non soli Causæ efficienti sed etiam alijs conuenit verè, propriè, ac directè conseruare aliquos effectus.

85. Motus, & quæuis actio creata identificatur termino Ad quem, ita vt sola ratione ab eo distinguatur, nisi fortè de motu locali cum illis loqui velimus (& meritò possumus) qui eum mobili identificari, & à termino Ad quem realiter distingui dicunt.

86. Motu locali, nulla forma intrinseca mobili, per se loquendo, acquiritur, sed solùm locus aut spatium extrinsecum. Nulla est necessaria entitas, siue realiter, siue modaliter à corpore quantitate affecto distincta; quo ipsum præsens, & applicatum loco, vel spatio constituatur: si tamen eiusmodi entitas requireretur, vel daretur in rerum natura, non deberet ap-

beret appellari locus intrinsecus, neq; Vbi, si nomine Vbi, intelligatur id, quod Aristoteles, & veteres Peripatetici intellexerunt.

87. Vnius generis motus sunt, qui ad formas sunt eiusdem prædicamenti. Ad vnitatem specificam motus, non requiritur per se loquendo vnitas specifica motoris, aut mobilis, aut termini A quo, sed solùm termini Ad quem; vnus verò motus numero ille solùm dicitur, qui est vnius numero mobilis, ad vnum numero terminum, vno numero tempore, ita videlicet vt partes non habeat quiete interruptas. Nihil obstat huic vnitati, quòd motus sit à pluribus mouentibus, siue simul, siue successiuè.

88. Non solùm motui quies opponitur; sed etiam quies quieti, & motus motui. (opposita hîc dicuntur, quæ simul non se compatiuntur in eodem subiecto) quies principaliter dicit priuationem motus, & ideo non potest esse in instanti, sicut nec motus; minus verò principaliter dicit persistentiam mobilis in aliquo termino.

89. Motus localis directus, & reflexus, non continuantur, etiamsi dicatur instans, quod est finis motus directi, esse principium reflexi. Probabile verò est id quod Aristoteles voluisse videtur, inter hos motus, vel semper, vel vt plurimùm intercedere quietem propriè dictam.

90. Quantitas continua permanens, est accidens absolutum, realiter distinctum à substantia corporea, & qualitatibus eius præcipuis, quod diuina virtute ab omni subiecto separari, & per se existere posse ex mysteriis fidei Christianæ colligimus. Ratio formalis eius, non est mensura, siue actiuè, siue passiuè accepta: non extensio localis; non impenetrabilitas; non diuisibilitas.

91. Substantia corporea, non habet ex se, & independenter à quantitate, extensionem aliquam propriè dictam, siue in ordine ad locum, siue in ordine ad se; immò neq; etiam habet partes, quas vocant entitatiuas, seu partes & partes, nisi fortè in potentia remota.

92. Nullum continuum, constat solis indiuisibilibus, siue finitis, siue infinitis, cùm in infinitum diuisibile sit, in semper diuisibilia. Partes integrantes completè sumptæ, seclusa omni diuisione, vel designatione non sunt in continuo actu, sed potentiâ.

93. Superficies, lineæ, & puncta, non sunt meræ negationes, aut priuationes extensionis. Neq; tamen sunt entitates aliquæ omnino distinctæ, aut distinguibiles realiter à corpore quantitatiuo, in quo virtute potius, & eminenter, quàm formaliter esse dicuntur.

94. Infinitum in quantitate, non est illud cuius nihil est extra acci-

pere, sed cuius secundùm quantitatem accipientibus, semper aliquid accipere, extra est. Diuiditur in Syncathegorematicum, & Cathegorematicum. Hoc posterius siue in magnitudine, siue in multitudine etiam rerum spiritualium, nulla potentia dari posse, probabilius est.

95. Locus, est superficies prima, corporis continentis immobilis. Eius immobilitas ab aliquibus explicatur per correspondentiam ad spatium quoddam imaginarium, quod sibi fingunt omnino immobile; ab alijs per hoc, quòd locus non moueatur per se, aut non moueatur necessario eo motu, quo mouetur locatum; ab alijs per hoc, quod semper succedant superficies corporis ambientis æquiualentes. Rectiùs videntur loqui qui hanc immobilitatem explicant in ordine ad partes aliquas, quæ vel sint fixæ, vel concipiantur vt fixæ.

96. Per absolutam Dei potentiam, potest corpus quantitate affectum esse præsens alicui loco indiuisibiliter. Potest & camelus animal crassum, ac gibbosum cum tota sua mole per foramen acus transire, immò in eodem foramine alteri camelo occurrere, & eum transeundo non contingere.

97. Naturæ viribus, duo corpora quanta nunquam se penetrant; miraculosè tamen penetrare se possunt: ita vt in eodem loco proximo simul sint circũscriptiuè extensa localiter, seu non absoluta ab extensione locali.

98. Vacuum, siue vt à quibusdam veteribus fingebatur; siue vt à Peripateticis definitur: Locus carens omni corpore, quod potest actu continere; nec datur in rerum natura, nec dari potest vlla virtute creata, etiam Angelica.

99. Si vacuum quoquo modo daretur, non possent in eo naturæ viribus grauia descendere, aut leuia ascendere; non moueri proiecta etiam ab Angelo, neq; animalia progredi. Rectè Aristoteles contra veteres infert motum naturalem grauium, & leuium in vacuo, futurum in non tempore, atq; adeò nullum futurum.

100. Quæ in periculo vacui contra propriam inclinationem sursum, vel deorsum feruntur, non mouentur naturaliter à propria forma: non à solo authore naturæ: non à virtute aliqua cœlesti: sed à contiguo sibi corpore trahuntur, propter naturalem adhærescentiam, & congruitatem, quam habent, vt partes vniuersi.

101. Tempus benè definitur, numerus motus, secundùm prius, & posterius. eadem est res cum motu, ac proinde neq; tempus, neque instans temporis, distinguitur ab omnibus rebus permanentibus. Rectè Aristoteles existimauit, non futurum tempus formaliter, si impossibilis esset intellectus potens numerare.

102. Tem-

102. Tempus aliquo modo vnum est numero, aliquo modo plura. Vnum proprijssimè dictum, quod est communis mensura motuum, atque hoc, est tempus primi mobilis, à quo potissimum sumitur denominatio prædicamenti Quando. Plura sunt tempora, si in pluribus motibus, qui in rerum natura existunt, attendamus rationem numeri numerabilis, & numeratiui, secundùm prius, & posterius.

103. Dantur aliquæ durationes creatæ indiuisibiliter permanentes. Æuum, Modus æui, Æternitas participata, eæq; non realiter, sed ratione solùm distinguuntur à rebus, quæ durant. Nulla creata duratio ita permanens est, quin capax sit successionis quasi priuatiuæ.

104. Etiamsi creatura aliqua ab æterno fuisset, & in æternum duratura esset, duratio eius non esset propriè æternitas; non enim esset interminabilis vitæ simpliciter, perfecta possessio; sed solùm interminata & perfecta secundùm quid.

105. Motus & Tempus incipiunt desinuntq; extrinsecè, videlicet per vltimum & primum non esse, quod idem dicendum est de rebus permanentibus si quæ eiusmodi sunt, quæ secundùm se totas, & secundùm quaslibet suas partes, successiuè producantur, & corrumpantur.

106. Res omnes permanentes, vt tales sunt, siue spirituales, siue corporeæ, possunt saltem per aliquam potentiam incipere, & desinere intrinsecè; videlicet per primum & vltimum esse, qui modus inceptionis & desitionis, necessariò competit rebus, quæ solùm per instans nostri temporis durant.

107. Cùm compositum substantiale producitur, vel corrumpitur, per mutationem instantaneam, in fine alterationis, incipit intrinsecè, seu per primum esse, & desinit extrinsecè seu per primum non esse.

De Mundo.

108. MVndus communiter distingui solet, Archetypus, Angelicus, Elementaris, Magnus, Paruus. Archetypus, est ratio sempiterna, & incommutabilis, qua Deus mundum condidit. Angelicus, est vniuersitas Angelorum triplici Hierarchia, nouemq; ordinibus constans. Paruus, est homo, qui omnium rerum perfectiones aliquo modo in se, tanquam compendio continet.

109. Mundum Elementarem, & Magnum, de quibus hîc nobis sermo, distinguere possumus; vel, quòd ille corpora solum simplicia, quæ Ele-

 menta vo-

menta vocantur comprehendat,hic corpora omnia etiam mista; vel quòd ille omnia corpora, siue ea Elementa, siue ex Elementis composita sint, hic res omnes creatas contineat.

110. Neq; Elementaris, neq; Magnus mundus, est Ens per se vnum; sed ille est aggregatum ex cœlo terraque, & alijs corporibus interiacentibus: hic est aggregatum ex naturis spiritualibus & corporeis, certo ordine, tum ad se inuicem, tum ad Deum affectis. Deum esse animam mundi Elementaris, vel mundum esse magnum quoddam animal, fabulosum est.

111. Mundum Elementarem, aut Magnum, esse vnum solum numero, non est euidens, est tamen omnino certum. Probabile est omnes Entium gradus, & ordines in magno mundo de facto esse, licet species & indiuidua, tum in Mundo qui est, tum in alijs, qui à Deo effici possent, magis, ac magis multiplicari, ac perfici finitè in infinitum, non repugnat. Est etiam Mundus mole finitus, & in suo genere perfectus.

112. Certò sibi Aristoteles persuasit, Mundum initio durationis caruisse, siue ex æternitate fuisse, non solùm quoad res natura sua ingenerabiles, & quoad motum primum, sed etiam quoad genera, & species rerum generabilium; rationes tamen, quibus hanc sententiam probat lib: 8. Phys. & lib: 1. de Cœlo, non vt simpliciter demonstratiuæ ab eo afferuntur, sed ad hominem, contra eos, qui mundum cœpisse statuebant per motum, aut mutationem.

113. Mundum, & omne id, quod Deus non est, in tempore, vel initio temporis à Deo liberè productum; atq; adeò non ab æterno fuisse, ipsæ nos Sacræ literæ docent, omni humana authoritate, & ratione certiores; quibus nulla aduersari potest vera Philosophia. Hoc tamen solo naturali lumine cognosci à nobis non potuisset, quo magis excusatione dignus est Aristoteles, qui huic veritati contradixit.

114. Potuisset Mundus ex æternitate esse, non solùm quoad Entia permanentia, tam corruptibilia, quàm incorruptibilia, sed etiam quoad successiua; atq; adeò quoad series generationum; nullo tamen modo ab æterno esse potuit, quoad generationes humanas, nisi aliquo miraculo, & præter naturam posito.

115. Mundus, quò ad substantiam cœlorum, & Elementorum conditus est in vno instanti, perfectus verò, & distinctus est spatio sex dierum, quibus etiam aqua piscibus, aër volucribus, terra omnium plantarum genere, varijsq; animalium speciebus repleta est, & ornata; homo autem reliquarum rerum corporearum Dominus constitutus.

116. Non

116. Non ſatis conſtat quo anni tempore mundus cæperit, ſeu quem initio ſtatum habuerit, ex ijs quos nunc habet, quatuor anni partibus. Num reſpectu Paradiſi terreſtris, atq; adeò reſpectu Armeniæ, ac Meſopotaniæ fuerit tunc æquinoctiũ vernũ, vel autumnale. Problematica quæſtio eſt.

117. De mundi ætate, non ſolùm multæ referuntur fabulæ, ſed etiam ex Chronologis, & ex ipſis Sacræ ſcripturæ interpretibus, varij variè ſentiunt. Placet illa ſupputatio, quæ habet Chriſtum Dominum natum eſſe, Anno à creatione mundi, quinquies milleſimo centeſimo nonageſimo nono; ex quo ſequitur ad hunc vſq; annum à Chriſti Domini natiuitate, milleſimum ſexcenteſimum decimum octauum, numerari ab orbe condito, ſex mille octingentos, ſeptemdecim annos.

118. Poſſet Mundus abſolutè loquendo ſolito naturæ curſu, ac citra ſpeciale Dei auxilium in eo ſtatu, quem nunc habet, vel ſimili ſemper durare, & per nouas rerum generabilium productiones ſe perenniter inſtaurare; neq; credendum illis, qui virtutes rerum magis ac magis imminui, deprauariq; dixerunt, & homines fieri æui, & ſtaturæ breuioris, temporis decurſu.

119. De facto tamen, poſt expletum per generationes humanas hominum numerum à Deo præfinitum, & poſt vniuerſalem præmiorum, ac pœnarum retributionem, Mundus quoad corpora miſta ab homine diuerſa, ſubſtantialiter deſinet, quoad corpora ſimplicia accidentaliter innouabitur & perficietur.

120. Mundi conſtitutio, non exotica illa quorundam Mathematicorum, ſed ea demum eſt naturæ, & veritati ex ipſis etiam Sacris literis deductæ conſentanea, vt terra centrum immobilis obtineat, circa quam affuſa deinceps reliqua elementa conſiſtant, cœleſtiaq; corpora mobilia, quæ omnia demum, cœlum Empyreum immobile, ſedes perpetua Beatorum, contineat, & ambiat.

De Cœlo.

121. COelum Ariſtoteles & Peripatetici corpus naturâ ſua ingenerabile, & incorruptibile poſuerunt, diuerſæ naturæ ab omnibus ſublunaribus, quod ad differentiam quatuor vulgarium elementorum, quintam ſubſtantiam appellarunt. Nihil hucuſq; contra hanc ſententiam conuicerunt Aſtronomi, ex nouis ſtellis, ex maculis ſolis, ex alijs Phænomenis, ſed neq; Eccleſiaſt: ſcriptores ex Sacris literis eã euertere potuerũt.

122. Num

122. Num Cœlum ſit corpus phyſicè ſimplex, & expers materiæ propriè dictæ, an verò ſit compoſitum ex materia, ſiue diuerſæ rationis, ſiue eiuſdem cum materia rerum ſublunarium, non omnino conſtat: certum eſt ex his modis alterutro cœlum potuiſſe à Deo fieri.

123. Suppoſito, quòd Cœlum ſit corpus naturale, ingenerabile, & incorruptibile ab intrinſeco, probabilius eſt illud conſtare materiâ diuerſæ rationis à noſtrate; quæ ex naturâ ſua, exigat vniri formæ ſubſtantiali indiſſolubiliter. Quæ ſententia D. Thomæ eſt, & Ariſtotelis doctrinæ quâuis aliâ conformior.

124. Ad ſaluandam Cœlorum ab intrinſeco incorruptibilitatem, non eſt neceſſe pro diuerſis cœleſtibus orbibus, materias diuerſas ſpecie ponere. Aſtra ab orbibus in quibus ſunt, differunt eſſentialiter: nec ipſa, nec eorum orbes propriè viuunt, aut animata ſunt.

125. Stellæ nouæ, quæ in via lacteâ poſtquam aliquanto tempore fulſerunt, viſæ ſunt euanuiſſe, etiamſi demus Aſtronomis eas fuiſſe non quidem in elementari, ſed in cœleſti regione, non fuerunt cometæ, vel ex Sphæra aëris, vel ignis in cœlum tranſlati, aut ex materia cœleſti de nouo geniti.

126. Nihil etiam euincit eiuſmodi ſtellas à Deo de nouo, cùm nobis primum apparuerunt conditas, ad aliquid portendendum, & poſtea deſtructas; aut miraculosè lumine auctas, & poſtea priuatas fuiſſe: potuerunt enim eſſe aliquæ ex ſtellis initio Mundi à Deo conditis, quæ ob ſpeciales motus, quos ex naturâ ſua vendicant, interdum nobis appareant, vt plurimum non appareant.

127. Stella quæ Chriſto Domino de Virgine nato in oriente fulgere viſa eſt, Magoſq; ad Regis Regum incunabula perduxit, non fuit ex cœleſtibus ſyderibus, nec in cœleſti regione, ſed fuit corpus ex elementari materiâ, Diuinâ, vel Angelica virtute inſtar ſtellæ fulgentiſſimæ formatum, & per aërem Angeli miniſterio motum.

128. Maculæ, quæ cernuntur in aſtro lunari, ſunt partes eiuſdem aſtri magis diaphanæ. De maculis per tubum opticum in ipſo ſole deprehenſis, probabiliter dicitur, donec aliquid certius ferat ætas, eas eſſe corpuſcula, quæ in regione elementari noua ſemper & noua generantur, vel certè eſſe particulas cœlorum, vel epicyclorum opacas, inter aſpectum noſtrum, & ſolis aſtrum interpoſitas.

129. Stellæ, ſiue fixæ, ſiue errantes, non mouentur per ſe in liquido æthere, ſed ſimul cum orbibus ſolidis quibus infixæ ſunt. Intelligentiæ

cœlorum

cœlorum motrices, non mouentur cum ipsis per accidens, si tamen dentur Epicycli qui motibus sibi peculiaribus moueantur, aliquas Intelligentias simul cum orbibus moueri, verisimile est.

130. Circulum lacteum fabulosè quidam ex veteribus dixerunt esse viam, quam Sol suo curru alias triuerit; vel quæ relicta sit ex cœli conflagrantis incendio, dum Phaëton aberraret; vel viam stellis constratam, quam perambulent cœlites. Non etiam satis mathematicè Aristoteles existimauit, esse exhalationes accensas in aëre, sub circulo Sporadeo vi frequentium magnarumq; stellarum ibi existentium. Rude vulgus hunc circulum vocat, viam S. Iacobi Compostellani.

131. Rectiùs dicitur hunc circulum esse, exiguarum stellarum multitudinem maximam, quæ præ exiguitate, & mutua propinquitate ad nostrum aspectum non tam distinctè pertingant, vt reliquæ, & ita lumen inter se confundant; vel certè esse partem firmamenti, quæ propter opacitatem perspicuitati permixtam possit ad nos vsq; transmittere lumen, non quidem tantum, quantum stellæ quæ à nobis conspiciuntur, maius tamen, quàm reliquæ cœli partes omnino perspicuæ.

132. Cœli & Astra, sunt figuræ sphæricæ, neq; ex SS. literis conuexum cœli empyrei quadratum esse colligitur. Obseruatum est nuper, sydus Veneris per statas temporum vices, quibus ad solem magis minusque accedit, crescere & decrescere instar Lunæ, corniculari, dimidiari, & impleri.

133. Stellæ fixæ scintillare nobis videntur ob nimiam distantiam, lucis exiguitatem, visus nostri debilitatem, ratione cuius oculis infirmioribus etiam planetæ interdum scintillant. Astra omnia tam fixa, quàm errantia aliquid innatæ lucis habent, sed planetæ ac præsertim Luna valde exiguum. Omnia enim aliquid lucis à sole mutuantur.

134. Lumen, quantitas, perspicuitas, opacitas, densitas, raritas, sunt eiusdem rationis specificæ in cœlo, & in his inferioribus. Non est certum aliquas in cœlo esse partes rariores, alias densiores, aut cœlum non esse vniforme in raritate, & densitate. Non sunt in cœlo grauitas, & leuitas, neq; durities propriè dicta.

135. Differentiæ positionum in cœlo sunt non propriè, sed per quandam aptam accommodationem, non planè metaphoricam sed medio modo se habentem, inter impropriam & propriam. Dextrum in ipso est Oriens, sinistrum Occidens, Polus Antarcticus siue Australis est sursum. Polus Arcticus aut Borealis est deorsũ, Meridies est ante, Septẽtrio retro.

 136. Cœ-

136. Cœlum agit in corpora sublunaria, non sola luce (qua per se illuminat & calefacit, per accidens autem causat interdum frigus, siccitatem, humiditatem, & quæ ad has qualitates earumq; temperationem sequuntur) sed etiam alijs virtutibus actiuis, quas vocant influentias.

137. Motus cœlis non est principium agendi, sed conditio. Eo cessante pro hoc rerum statu probabile valde est cessaturos ex natura rei loquendo, motus omnes corporum inferiorum. Post diem Iudicij quies erit cœlis naturalis, non violenta, vel neutra.

138. Ex actione cœli in hæc inferiora, nihil humanæ libertati detrahitur. Non agit cœlum in animum humanum, nisi per accidens, & indirectè, quatenus organa corporea vario modo immutat & alterat; multò verò minus agit in dæmones, etiamsi illi secundùm certa incrementa Lunæ, magis vexare soleant homines arreptitios.

139. Diuinatrici vt vocant Astrologiæ nulla fides habenda, mendaces existimandi Genethliaci qui de effectibus & euentibus liberis, de futuris honoribus ac dignitatibus hominum, de prospera, vel aduersa fortuna, præscientiam ex astris in natiuitate hominis dominantibus, profitentur. Non est autem mirum, si ex ijs quæ prædicunt, cum plurima falsa sint, casu aliquid eueniat.

140. Non minùs commentitiæ sunt diuinationes Astrologicæ, de præteritis, ex præsentibus constellationibus, vt si decernant in particulari quis homicidium, vel furtum de quo dubitatur commiserit, quis huius sit, vel fuerit parens, quid hic vel ille antea in vita egerit.

141. Non possunt Astrologi exactè obseruare, in quo quisq; sydere, quoq; cœli statu & Horoscopo conceptus & natus fuerit, sed etiamsi id vtcunq; obseruarent, non posset inde certum sumi iudicium de hominis temperamento, de propensionibus naturalibus ad certos mores, ad certa studia, vitia, vel virtutes.

142. Effectus naturales qui non à solis Astris eorumq; motibus, sed à causis etiam sublunaribus magna ex parte pendent, & ab ijs impediri possunt, cuiusmodi sunt pluuiæ, serenitates, venti, tempestates, fertilitates, sterilitates, morbi, & alia id genus, vix probabiliter, aut per coniecturam, ab Astrologis in particulari præcognoscuntur, & prædicuntur.

143. Ea quæ ad cœli statum pertinent vt syderùm ortus, occasus, oppositiones, Eclypses, stationes, retrogradationes, &c. possunt ab Astrologis multò antequam eueniant, certo præsciri, & prædici. Quanquam & hæc fortasse re ipsa nunquam illi omnino exactè assequuntur.

De Ele-

144. QVæ vulgò & absolutè Elementa vocantur, benè ab Aristote-le definiuntur: Corpora, in quæ alia Corpora diuiduntur, & insunt potentiâ, vel actu, ipsa autem indiuisibilia sunt in diuersa specie. Constant materia prima, eiusdem rationis cum ea, quæ est reliquorum corporum sublunarium. Non constituuntur in sua essentia qualitatibus siue alteratiuis, siue loco motiuis; sed veris formis substantialibus, quas dictæ qualitates consequuntur.

145. Quatuor specie sunt Elementa, in ijs primum locum obtinet ignis, cuius locus naturalis est conuexa aëris, & concaua Lunæ superficies, proximum aër, tertium aqua, postremum terra. Non sunt pura secundùm omnes partes suas, quoad qualitates, nec impermixta localiter, quoad substantiam.

146. Non est inter Elementa ea magnitudinis proportio, vt superius decuplo maius sit inferiori: immò quo excessu Elementa se mutuò superent, nobis planè incertum est. Ex certa verò parte inferioris, decuplo maius, aut rarius Elementum proximè superius generari, neq; certo argumento refelli, neq; stabiliri potest.

147. Aristoteles cùm eam proportionem decuplam videtur astruere inter Elementa, mensuram certam pro incerta vsurpat, solùmq; vult ex terra fieri ampliorem aquam quàm terra fuerit, ex aqua ampliorem aërem, ignem ex aëre ampliorem.

148. Ignis qui apud nos eiusdem est speciei, cum Elementari prope Lunam existente, neq; ab vtroq; differt essentialiter, qui in locis inferis, initio mundi à Deo constitutus est; vel ad torquendos in perpetuum Angelos, hominesq; damnatos; vel ad purgandas ad tempus animas hominum beandas.

149. Ignium subterraneorum qui in varijs terræ partibus se produnt, materia ordinaria & fomentum est sulphur fossile, ac bitumen: causa efficiens proxima disposita cum materia, nõnunquam est sol, interdũ fulmen desuper decidens, sæpius exhalatio sub terræ cauernis inclusa, & per Antiperistasim corporum frigidorum, & per motum & attritionem magis calefacta & rarefacta.

150. Ardere diu possunt huiusmodi ignes, non solùm quòd loca ijs flagrantia plurimùm abundent sulphure ac bitumine, alijsq; humoribus densis, pin-

ſis, pinguibus, vnctuoſis, tardèq; combuſtibilibus; ſed etiam quòd proxima quæq; ad ſe trahunt, & abſumunt, ſerpuntq; ad alia loca, vbi materiam incenſioni aptam reperiant.

151. Aër diuiditur alicubi ab Ariſtotele in duas partes, aut regiones. Vnam in qua nubes cogi non poſſint, aliam in qua cogantur. Tres tamen ſunt huiuſmodi regiones eodem authore, qui duabus in partibus aëris docet, non condenſari nubes, in ſuprema vbi obſtat motus in orbem, in infima quam radiorum ſolis reflexio calidiorem facit. Datur ergo media in qua congregantur.

152. Elementum aquæ cùm initio Mundi à Deo productum eſſet ambiens & cooperiens totam terram, tertia deinde creationis die ad vniuerſi bonum in magnas terræ cauitates receptum, in mare, flumina, & ſubterraneas ſcaturigines diuiſum eſt.

153. Varij motus maris varias habent cauſas. Motus in Oceano à Septentrione in Auſtrum, meritò dici poteſt prouenire ex frigore regionis, quæ eſt ſub Polo Arctico, & ex nimio æſtu qui eſt ſub Zona torrida. Motum ab oriente in occidentem permulti volunt, eſſe quendam raptum ex motu diurno cœli, meliùs verò dicitur conſequi ſolem, vapores ex mari attrahentem, & quaſi prælibantem.

154. Fluxus ac refluxus, ſiue æſtus maris non prouenit ex naturali motu marium diuiſorum, ac reuniri cupientium, neq; ex ventis ſupra mare exiſtentibus: ſed neq; proxima, & immediata affertur eius cauſa, ſi dicatur prouenire à Lunæ, vel alterius Aſtri influentia.

155. Aliqui ergo ad hunc effectum explicandum, Intelligentiam ponunt motricem, ſicut pro cœlorum motibus. Alij ſibi ſatisfaciunt ſi eum referant in occultam maris temperiem aut complexionem. Probabiliùs in re obſcuriſſima & difficillima dici videtur, exhalationes plurimas ex terra, & fundo maris, virtute Aſtrorum præſertim Solis & Lunæ excitatas, & aquis marinis admixtas, per ſe cauſare fluxum, eaſdem verò ex aquis euadentes, diſſipatas, & conſumptas cauſare refluxum per accidens, & per ſui abſentiam.

156. Maris ſalſedo prouenit ex calida & ſicca exhalationis permixtione, quam tunc primum aquæ marinæ à Deo acceperunt, cùm in ſuas cauernas congregatæ ſunt; licèt continua Aſtrorum actione conſeruetur, augeatur, diminuatur, nec æqualis omnino ſit in quolibet mari.

157. Diluuium vniuerſale quale contigit tempore Nóë, nunquam amplius de facto continget, ſed neq; contingere poteſt ſolius naturæ viribus.

Diluuia

Diluuia particularia ex maris fluminumq; inundationibus, ex pluuiarum ac niuium reſolutarum copia, & aliquoties poſt Noëticum, in quibuſdam regionibus contigerunt, & ante Noëticũ aliquãdo cõtigiſſe veriſimile eſt.

158. Fontium ac fluminum perennitatem ac perpetuitatem, alij cauſari putant à ſolis pluuijs, ac niuibus reſolutis. Alij ex particulis aëris intra ſinus terræ in vaporem & aquam conuerſis. Alij ex mari per ſecretos terræ meatus, vel ex aquis quibus Deus initio mundi ſubterraneas terræ cauernas impleuit, originem ducere.

159. Nulla ex his ſententijs per ſe, ac ſeorſim accepta ab alijs, aſſignat ſufficientem & adæquatam cauſam perennitatis fluminum; ſed ſolùm inadæquatam, atq; adeò, ex omnibus illis cauſis ſimul ſumptis, hæc difficultas abundè explicari videtur.

160. Probabile eſt omnia maria, tum inter ſe, tum cum fluminibus præſertim maioribus & ſubterraneis aquis continuari; atq; adeò elementum aquæ non ſolum eſſe vnum ſpecie, ſed etiam fermè vnum numero.

161. Dari Antipodas, id eſt homines è contraria parte terræ, aduerſa nobis veſtigia prementes; aliqui veteres fabuloſum putarunt, ſed iam indubitatum eſt. Neq; inde fit eos homines eſſe pendulos magis, quàm nos ſimus, nec debemus nos illis magis, quàm illi nobis ruinam verſus cœlum timere.

162. Dantur qualitates primæ alteratiuæ, Calor, Frigus, Siccitas, Humiditas, neq; enim frigus eſt priuatio caloris, nec humiditas ſubſtantia fluida. Omnes hæ qualitates ſunt actiuæ, immò ſi ſpectentur, quò ad vim agendi, omnes ſunt æqualiter actiuæ, vel vnaquæq; eò eſt actiuior, quò intenſior.

163. Si in ijs qualitatibus modus agendi ſpectetur, primus in actiuitate eſt calor, tum frigus, deinde humiditas, poſtremò ſiccitas. Quæ eſt actiuior, eſt etiam magis reſiſtitiua reſiſtentia formali: vnaquæq; verò eſt magis actiua, quàm ſua contraria ſit reſiſtitiua, ſi cætera ſint paria.

164. Calidum rectè deſcribitur. Quod congregat homogenea, & diſgregat heterogenea. Frigidum, quod tam heterogenea, quàm homogenea congregat. Humidum quod difficilè proprio termino, facilè alieno terminabile eſt. Siccum quod facilè terminatur proprio, difficilè autem alieno termino.

165. Elementa non habent qualitates aliquas virtuales, priores his quatuor, à formis ſubſtantialibus diſtinctas. Cum à ſuo naturali ſtatu dimouentur, poſſunt ſe ad eum reducere, per emanationem, aut reſultanti-

am natu-

am naturalem immediatè à sua forma substantiali.

166. Vnumquodq; elementum in suo statu connaturali requirit vnam qualitatem summè intensam, alteram solùm in gradu excellenti, siue aliquantùm remissam per contrariæ admixtionem.

167. Aër natura sua calidus & humidus. In media regione per accidens frigidus est; propter vapores perpetuò ascendentes, & ad statum naturalem se reducentes. Probabile est etiam, initio mundi eam regionem præter naturam, frigore imbutam fuisse ob bonum vniuersi.

168. Præter qualitates alteratiuas, dantur in Elementis loco motiuæ; grauitas, & leuitas, ex illarum ortæ combinatione, præsupposita debita raritate, & densitate. Quæ proinde non idem sunt quod raritas & densitas.

169. Sicut qualitates alteratiuæ symbolæ in Elementis symbolis, sunt eiusdem speciei; ita & loco motiuæ, grauitas aquæ differt à terrea, permixtione leuitatis. Leuitas aërea, differt ab aquea, permixtione grauitatis.

170. Ignis naturâ sua omnium Corporum leuium leuissimus est, sicut & terra omnium grauium grauissima. Elementa in proprijs locis, neque propriè leuitant, neq; grauitant, si per hoc intelligatur actu moueri, aut niti, inclinariq; ad motum sursum, vel deorsum.

171. Dici possunt Elementa grauitare, aut leuitare in proprijs locis, quatenus in ijs habent quietem & consistentiam, quæ est actus secundus grauitatis aut leuitatis. Dicuntur etiam ab Arist: tria Elementa inferiora grauitare in proprijs locis, quia vnumquodq; ex ipsis in periculo vacui habet maiorem aliquam inclinationem ad motum deorsum, quàm suum inferius ad motum sursum.

172. Cùm Elementa, aliaq; grauia & leuia feruntur ad sua loca naturalia, rectè dicuntur ab Arist: & Peripateticis moueri à generante, tanquam à causa principali per se, & à remouente prohibens vt à causa per accidens.

173. Motus hic naturalis grauium & leuium velocior est in fine, quàm initio, non quòd augeatur in ipsis vis motiua intrinseca, aut quòd à loco trahantur, sed quòd plures partes medij, tum antecedentis, tum sequentis simul cum ipsis moueantur.

174. Proiecta à proijciente separata non mouentur effectiuè ab vlla qualitate vel in aëre, vel in ipsis de nouo impressa à proijciente; sed ab alijs atq; alijs partibus medij commotis, & præter naturam condensatis, ad raritatem se reducentibus. Probabile etiam est eum motum iuuari à virtute motiua, ipsis proiectis connaturali.

De Generatione, Corruptione, Alteratione, & Actione elementorum, aliorumq; corporum corruptibilium.

175. Generatio substantialis Physica, semper est conuersio, rectèq; definitur: Mutatio totius in totum, nullo sensibili remanente vt subiecto eodem. Datur in ea resolutio vsq; ad materiam primam, ita vt nulla forma siue substantialis, siue accidentalis, quæ in corrupto fuerit, maneat eadem numero in genito. Quantitas dicitur coæua materiæ ab eaq; inseparabilis, quia ad omnem formam substantialem sequitur, semperq; materiæ conuenit, etsi non semper eadem numero.

176. Generatio, & Corruptio substantialis ex mente Philosophi, est ipsa alteratio successiua & continua quatenus terminatur extrinsecè ad esse vnius, & ad non esse alterius rei naturalis. Vnde axioma illud. Generatio vnius, est alterius corruptio, verum est non solùm in sensu causali, sed etiam identitatis, idq; vniuersaliter etiam in generatione & corruptione mixti, ac viuentis.

177. Ad generationem formæq; substantialis effectionem, vel eductionem ex materia, nullum habet influxum immediatum forma substantialis generantis, distinctum ab influxu instrumentario qualitatum agentium, in virtute causæ principalis. Porro hic influxus instrumentarius non conuenit qualitatibus in passo receptis, ipsumq; formaliter disponentibus; sed in agente, vel in alio quod eius vices suppleat existentibus.

178. Quoduis Elementum ex quouis alio etiam dissymbolo, potest immediatè generari secundùm aliquam sui partem. Ex duobus elementis dissymbolis inuicem agentibus, & se corrumpentibus generatur interdum tertium, vtriq; symbolum.

179. Elementum faciliùs in se transmutat symbolum, quàm dissymbolum, cæteris paribus, idq; propter rationem Aristotelis, quia in transmutatione symboli vnam solùm qualitatem destruere debet.

180. Datur vera mixtio substantialis, rectèq; ab Arist: definitur: Miscibilium alteratorum vnio: Non consistit in sola miscibilium iuxta positione, aut mutua alteratione, requirit enim prætereà veram, & substantialem corporis misti ex miscibilibus productionem, & consequenter substantialem miscibilium desitionem.

181. Non semper cùm mistum generatur intercedit mistio propriè dicta, vt

cta, vt patet cùm fit vnum mixtum ex alio. Non est necesse ad productionem mixti ex elementis omnia elementa secundùm substantiam concurrere. Elementa non manent in mixto actu, sed potentiâ solùm, & virtute.

182. Alteratio, est mutatio in passionibus, contrarijs aut medijs, remanente eodem subiecto sensibili. Non fit per instantia interpollata, aut minima. Est motus continuus tum ex parte subiecti, tum ex parte termini. Qualitas intensibilis nullum sibi vendicat terminum versùs minimum, siue intensiuè, siue extensiuè.

183. Intensio & remissio, solis qualitatibus per se conuenit, sed non omnibus: non consistit in abiectione formæ præcedentis, & alterius distinctæ acquisitione: non in deperditione, vel noua inductione contrarij: sed in maiori, vel minori radicatione, siue participatione eiusdem formæ in eodem subiecto. Contraria in gradibus remissis, vel non excedentibus latitudinem summam vnius ex ipsis: simul se compatiuntur in eodem subiecto.

184. Rarefactione & condensatione, nec fiunt aut tolluntur in corpore vllæ vacuitates, nec recipiuntur aut expelluntur corpuscula sensu imperceptibilia, nec producitur aut destruitur quantitas in eadem, vel in diuersa parte materiæ per se loquendo.

185. Probabiliùs est, id quod rarefit & condensatur, per hoc præcisè nullam acquirere formam sibi intrinsecam, re distinctam à sua quantitate, & qualitatibus proximis, sed solùm maiori vel minori loco extendi quàm ante; aut fieri maius vel minus extensione locali.

186. Agens naturale, non agit primo, & immediatè in distans, aut sine contactu passi, nec obstat quod aiunt, generari metalla à cœlo intra terræ gremium; basilisci intuitu necari homines, oculis fascinatorum fascinari pueros, &c. nimirum in his omnibus non est actio primo in distans, sed per medium.

187. Vt possit agens agere in passum distans, nec opus est vt in medio producat effectum eiusdem rationis, cum eo quem producit in distanti, nec satis est, si in medium agat actione omnino disparata, cui non subordinetur effectus in loco distanti producendus.

188. Agens primum, agit immediatè immediatione virtutis sibi intrinsecæ in totam suam sphæram. Virtus transfusa per medium effectiuè concurrit, vel semper, vel saltem vt plurimùm, ad actionem in passum distans.

189. Motus ferri, ad magnetem; palearum, vel pilorum, ad succinũ, vel ada-

vel adamantem; sit mediante aliqua qualitate diffusa ab ipso magnete, succino, adamante. Obuersio verò magnetis, ferriq; magnete affricati, ad polum, partesué polo vicinas, potius in aliquam virtutem motiuam cœlo inhærentem, quàm in efficacitatem ipsius magnetis referenda est. Idem proportionaliter dicendum, de conuersione heliotropij ad Solem, selinotropij ad Lunam, &c.

190. Actio, est à proportione maioris inæqualitatis, vnde nec agens minus intensum potest intendere per se id, quod est intensius; nec simile in qualitate & gradu agit in simile quatenus simile, quantumuis sit ipso densius & maius.

191. In reflexione qualitatis, corpus reflectens effectiuè, sed instrumentaliter concurrit ad intendendam eandem qualitatem. In puncto reflexionis, ac refractionis radiorum solarium intensius est lumen, quàm in corpore reflectente aut refrangente.

192. Inter agens & passum, semper intercedit distinctio aliqua realis, atq; adeò vniuersaliter verum est, nihil agere in seipsum actione propriè dicta, etiam æquiuoca. Non est tamen necessarium ea distingui inter se suppositis, aut tanquam diuersas partes integrantes eiusdem suppositi.

193. Qualitas per antiperistasim intenditur, non à seipsa actione directa, vel reflexa: non à suo contrario: non ex reflexione specierum intentionalium à contrario in quod impingant resilientium & in id agentium, à quo sunt transmissæ: sed per dimanationem naturalem à forma substantiali corporis obsessi, vel ab aliquo agente extrinseco.

194. Agens immediatum in agendo repatitur secundùm eandem partem, & contrarietatem, si communicet cum passo in materia subiecta contrarijs, sitq; illi proportionatum & debitè applicatum. Passum ad hoc vt possit reagere, debet esse actiuius quàm agens sit resistitiuum, resistentia formali, seu priuatiuâ, seu passiuâ.

195. Probabile est, partem repassam agentis in progressu reactionis simul pati, aut moueri à passo, & à parte non repassa, secundùm qualitates contrarias, neq; hinc sequitur recipi in subiecto qualitates contrarias in gradibus excedentibus latitudinem, aut vltra naturalem capacitatem.

De Mixtorum imperfectorum generatione.

196. QVædam mixta sunt, quæ substantialiter accepta, corpora sunt simplicia, ipsa videlicet Elementa à suo naturali statu per

 alteratio-

alterationem valde dimota, quæ ideo dicuntur mixta imperfecta. Meteora etiam appellantur quasi sublimia, à loco, quia quæ in sublimi ex ipsis fiunt vel plura sunt, vel notiora, vel magis portentosa.

197. Horum mixtorum imperfectorum causa materialis remota, eadem est quæ omnium sublunarium. Materia prima minus remota, vt vel plurimùm aqua, & terra, ex quibus duplex halitus, vapor, & exhalatio extrahitur: proxima ijdem halitus.

198. Causa formalis ipsorum similiter se habet, ac artefactorum. Dicuntur ergo constitui vltimò in suo esse, non formis substantialibus (quas non habent diuersas ab Elementis) sed figura, & alijs quibusdam accidentarijs proprietatibus, ex quibus nomina certa illis imposita.

199. Efficiens eorundem mixtorum causa sunt Astra, præcipuè Sol & Luna, ex quibus hanc Matrem, illum Patrem Meteororum Poeta non ignobilis appellauit. Verisimile etiam est, extraordinaria aliqua Meteora, quæ interdum apparuisse, vel apparitura esse leguntur, ministerio Angelorum, vel præpotentis Dei virtute fieri.

200. Fines horum Mixtorum possunt esse varij, vt mutua Elementorum transmutatio, mixti perfecti generatio, impuræ materiæ consumptio, terræ fœcunditas, aëris expurgatio, alia totius vniuersi commoda: vtitur etiam ijs interdum Deus præter naturalem rerum cursum ad comminationem, ad terrorem, ad pœnam hominum. Loca ordinaria in quibus generantur sunt, aër, aqua, terra.

De Mixtis imperfectis, quæ constant exhalatione.

201. Mixta imperfecta, quæ exhalatione atq; adeò terrâ constant, hæc numerari solent, Cometes, Fulmen, Fulgur, Tonitru, Ecnephias, Typhon, Præster, Venti tùm Horizontales, & qui intra subterraneas cauernas terræ motum causant. Deniq; nonnullæ flammæ in aëre apparentes. Ex his pleraq; dicuntur Meteora ignea, vel impressiones igneæ, quòd exhalationes ignitas, siue accensas includant.

202. Cometes non est vnus ex planetis à septem vulgaribus diuersus, neq; plurium planetarum coalitus. Est ergo exhalatio multa, pinguis, & viscosa, benè coagmentata, ad supremam aëris regionem eleuata, ibiq; accensa pro cuius materia, & situ diuersitate, diuersus etiam ipse quoad quantitatem, & qualitatem apparet. Hinc illa diuisio Cometæ in Crinitum Barbatum, Caudatum.

203 Du-

203. Duplex statui solet Cometæ generatio: alia per se, cùm nulli verò astro directè & perpendiculariter exhalatio supponitur; alia per quam fit veluti appendix alicuius stellæ, cui directè subijcitur, & cuius propterea videtur esse coma, vel cauda, cum illaq; vnum constituere.

204. Pronunciat Cometa naturaliter, ac per se, ventos, terræ motus, maris tempestates, inundationes fluminum, aliosq; effectus qui ex exhalationibus oriuntur. In his numerantur etiam morbi, ac mortes hominum, præsertim præferuidæ ac delicatioris complexionis, inter quos cùm Magnates ac viri Principes numerentur, ijs potissimum comminari aut malè ominari Cometæ vulgò putantur.

205. Vana sunt, & sine fundamento, quæ aliqui Astrologi dicunt, Cometam gladij figuram præseferentem Martis proprium esse, portendereq; destructiones Vrbium, eum verò qui columnam referat esse Iouis, atque adeò occidendos ab eo Reges, ac Principes. Verisimile tamen est diuinitus interdum excitari Cometas ad aliquid huiusmodi significandum.

206. Tonitru, non fit ab extinctione ignis in nube, sed ex exhalatione calida & sicca intra nubem inclusa, eamq; magnis ictibus concutiente, & disrumpente. Quodsi dicta exhalatio nube perfracta ex parte inferiori accendatur, sed in aëre superiori flamma extinguatur, fulgur dicitur aut fulgetra, sin verò sic accensa exhalatio ad terram vsq; magno impetu descendat, est fulmen. Vnde meritò Seneca dixit. Fulgetram non aliud esse, quàm flammam futuram fulmen, si plus virium habuisset.

207. Ex vario huius exhalationis ex nube perfracta exitu, varij sunt ex eadem materia effectus, qui varia nomina sortiuntur, Ecnephia seu procella dicitur ipsa hæc exhalatio, cùm non accensa, sed instar flatus vehementis deorsum recta fertur, si præsertim vim subitarum aquarum secum trahat.

208. Typhon, seu Vortex est, cùm eadem exhalatio ex sublimi descendens in orbem contorquetur, rotatq; alia in quæ impingit. Quodsi exhalatio sic descendens in aëre incendatur, siue inflammetur, dicitur Præster aut Turbo.

209. Fulmine clypei æramentum liquefactum, aliquando fuit, inquit Aristoteles, lignum verò nihil passum fuit. Referunt alij ictum fulmine gladium vagina tectũ consumptum igne fuisse, vaginâ integrâ: argentum & æs intra loculos colliquatum illis illæsis: Interdum dolio integro, vinum absumptum, aliàs contra, vinum permansisse exusto dolio. Horum, & similium effectuum admirabilium ex diuersitate materiæ, nunc tenuio-

 ris, ac

ris, ac rarioris, nunc densioris, magisq; compactæ, ratio reddi potest.

210. Quæ in sublimi interdum apparent & lucent instar flammarum, aut stipularum ardentium, caprarum saltantium, candelarum, trabium: Stellæ item cadentes aut discurrentes, dracones volantes, ignes fatui, qui homines fugientes insequi, persequentes fugere videntur, & similia alia nihil aliud sunt quàm exhalationes accensæ in suprema, media vel infima regione aëris, sola inter se magnitudine, figura, raritate, situ, motu, differentes.

211. Ignes illi gemini, quos nautæ vocant Castorem, & Pollucem, salutaria signa sunt nauigantibus, quòd exhalationes per aërem sparsas, raras, & malè compactas denotent. Ab Helena sibi apparente maiora mala sibi timent nautæ, quàm ab Helena Troiam abducta, eo quòd materiam ventorum, futuraiq; vndarum agitationes sua solitudine portendat.

212. Ventorum materiam proximam, benè probat Aristoteles non esse aërem, sed exhalationem calidam & siccam, quæ vel per aërem vagatur, si venti aërei, vel per terræ cauernas, si subterranei, qui sæpè terræ motus, tremores, & concussiones causant. Terræ motibus obnoxia sunt maximè loca montosa, & mediterranea, vt pote quæ pluribus sunt referta exhalationibus.

213. Venti in obliquum, seu lateraliter mouentur, eo quòd exhalationes calidæ quæ ipsorum materia sunt, sursum ascendentes à media aëris regione perfrigida resilire cogantur, nec tamen deorsum descendere rectè possunt, ob inhærentem sibi leuitatem, præsertim cùm aër infimus sit aliquanto crassior ipsis.

214. Iuuat etiam hunc motum lateralem ventorum, tum multitudo nouarum exhalationum ex inferiori parte ascendentium, tum calor solis attenuans & rarefaciens exhalationes decidentes, tum permixtio in ipsis particularum grauiorum cum leuioribus, ob quas nec omnino sursum, nec omnino deorsum; sed medium quasi motum obliquum appetunt.

215. Antiquissima ventorum partitio fuit in Boreales, & Australes: postea quatuor numerari cœperunt venti, à quatuor primò descriptis mundi partibus, dictiq; sunt Orientalis, Occidentalis, Borealis, Australis, quibus deinde additi sunt alij, quos vocarunt collaterales. Aristoteles distinxit vndecim ventos. Nautæ numerant duos & triginta.

216. Causa huius tantæ diuersitatis ea esse videtur, quòd venti ab omnibus terræ partibus spirent, & quoquo versum aspiciamus indè ventus aliquis aliquando perflet. Hinc ergo factum, vt totum terræ & cœli ambitum,

bitum, alij in plures partes diuiserint distinctiusq; notarint vnde ventus quisq; veniat; Alij in pauciores, ad eas reuocantes partes vicinas.

217. Ex regionibus per quas venti ad nos traijciunt diuersas induunt qualitates, vnde Septemtrionales frigidi sunt & sicci, cùm transeant per loca niuosa & frigida. Australes humidiores, vtpotè ex regionibus mari propinquioribus. Hinc est quod nunc pluuiam, nunc serenitatem, calorem etiam, vel frigus & causent venti, & prænuncient.

De mixtis quæ constant vapore.

218. Vapores ad mediam regionem aëris eleuati loci frigiditate in nubes vt plurimùm coguntur, quæ si ad pristinas qualitates paulatim se reducant, resoluuntur in aquas guttatim in terram decidentes, & inde est pluuia, cuius duæ præcipuæ sunt species. Imber, qui ex guttis crebrioribus ac minutioribus; Nimbus ex maioribus ac paucioribus guttis constans; si autem vi frigoris congeletur fit nix.

219. Pluuiæ prodigiosæ, ranarum, pisciculorum, sanguinis, cineris, lactis, oriri interdum possunt ex varia dispositione ventorum, ac permixtione cum siccis exhalationibus; Nonnunquam supernaturalem habent causam ad hominum commonitionem vel pœnam. Ranas cùm pluere videntur, non tam ex nubibus decidere, quàm ex guttis pluuijs, & madefacto puluere, perfecteq; disposito repente gigni, probabilius est.

220. Nebula sæpè est excrementum nubis, seu nubes sterilis, resoluta ac decidens terramq; obscurans: interdum est initium quoddam nubis. Vapores scilicet turmatim ex locis humidis ascendentes, qui non possunt in altum ob grauitatem & spissitudinem sese erigere, atq; ita infimum aërem occupant, redduntq; caliginosum.

221. Cùm vapor tenuis circa vesperum in aërem, non longè à terra eleuatus à frigore temperato serenæ noctis condensatur, & ingrauescit, ros existit, quo terra madescit. Quodsi vehementius sit frigus, gignitur pruina.

222. Mel ex vapore etiam tenui, & partibus terræ subtilibus generatur: ab apibus non fit sed defertur ad aluearia, vt meritò Philosophus dixerit apes construere fauos ex floribus, ceram ex arborum lacryma, mel ex rore colligere.

223. Manna simili ferme modo generatur quo mel. Manna Hebræorum probabile est fuisse eiusdem naturæ specificæ cum eo, quod nascitur

in Calabria, & quod apud nos in Polonia Mense Iunio, & Iulio noctu depluit, herbisq; instar roris concreti incumbit, solumq; accidentarijs quibusdam excellentijs ab his diuersum.

224. Saccarum etiam fit ex rore tenui, partibus terræ subtilibus permixto, in quibusdam arundinibus, ex quibus interdum erumpit & in grandines concrescit. Nostris temporibus ex ijsdem arundinibus elicitur, & ad candorem, ac spissitudinem arte veteribus ignota excoquitur.

225. Grando, Vere potissimum, vel Autumno locisq; temperatis gignitur, cùm per antiperistasim aëris calidioris pluuia in terram descendens congelatur. Vnde definiri solet pluuia in aëre conglaciata; sicut pluuia vel minutarum est guttarum, vel maiorum, ita & grando. Quæ maior decidit in propinquiori terræ loco congelata fuit.

226. Inter aquea Meteora numerari meritò possunt, Halos, siue Corona, Vorago, Hiatus, Virgæ, Parelium, Iris quæ ex varia reflexione, ac refractione luminis ab Astris fulgentibus in nubem roridam incidentis, in sublimi fiunt, & conspiciuntur.

227. Halos, aut Corona tunc fit, cùm vapor humidus modicæ, sed æquabilis densitatis Soli, Lunæ, aut alij Astro perpendiculariter subiectus in medio illuminatur, ita vt circulus albus appareat, Astrum quasi cingens & coronans. Frequentiùs est circa Lunam, quàm circa Solem, vapores sibi subiectos suis radijs faciliùs dissipantem & consumentem.

228. Cùm in aëre nocte serena, multæ spirationes in sublimi constipatæ medio quidem densiores, extremis verò partibus rariores, inter Astrum aliquod fulgentius nostrumq; aspectum interponuntur, Foueæ nobis, siue Hiatus, & Voragines apparent. nimirum illuminatis partibus extremis, mediæ videntur nigræ, & atræ; atq; adeò remotiores & inanes.

229. Virgæ tunc fiunt, cùm Sol reflectitur ad nubem inæqualis densitatis, & opacitatis, radij nimirum solis, partes perspicuas nubis hinc, inde permeantes, apparent velut virgæ fulgentes, vt plurimum candidæ, interdum puniceæ, vel virides, iuxta diuersum dominium luminis super nubis obscuritatem.

230. Parelium fit, cùm in nube æquabiliter densa, proximè ad pluuiam disposita, à latere Solis, videlicet ad Austrum, vel Septemtrionem Solis figura, atq; imago veluti in speculo exprimitur. Sæpius matutino aut vespertino tempore, raro meridie cernitur: Frequentius vnum solùm est, aliquando duo, raro plura cernuntur. Sed cùm à quodam Rege Poloniæ sex simul Soles aliquando visos esse fama sit, quinque Parelia simul fuisse necesse est.

231. Iris,

231. Iris, est arcus multicolor in nube rorida, partim perspicua, partim opaca, ex radiorum Solis oppositi reflexione, ac refractione apparens. Non cadit sub aspectum nostrum, nisi simus inter Solem, & nubem Iride fulgentem constituti.

232. Possunt interdum eodem tempore effici plures Irides, vel directè omnes à Sole in diuersis sitibus, & æquè intensis præditæ coloribus, vt vna in Oriente, altera in Occidente, tertia in Septemtrione; vel quod frequentius accidit, in eodem omnes situ, ita vt prima sit directè à Sole, altera quæ minus apparet ex prioris reflexione, tertia ex secunda.

233. Semicircularis figuræ Iridis, ex rotunda Solis figura ratio desumitur. Quò magis Sol supra Horizontem eleuatur; eò cæteris paribus Iris à Sole directè facta, minor est, quia eius centrum, & axis, vt Perspectiui loquuntur, magis deprimitur.

234. Sole oriente, vel occidente, Iris à Sole directè facta apparet maxima, quæ apparere potest, videlicet vt semicircularis præcisè; Sole verò existente in meridie nulla omnino apparet, si in ea Regione Sol vltra quadraginta duos gradus supra Horizontem tunc eleuetur, vel minima quæ potest illa die apparere.

235. Diuersitas colorum in Iride, punicei, purpurei, viridis, ex varia radiorum Solis ad partes nubis reflexione prouenit. Partes internæ semicirculi, vel minoris segmenti circuli, non colorantur, quòd radios Solis ad nos non reflectant, vel minus reflectant.

236. Non est credibile ante diluuium vniuersale, nunquam fuisse Iridem; post ipsum autem, Iris signum est non amplius futuram totius terræ eluuionem, non naturaliter, sed ex diuina institutione. Quæ mane visitur Iris, naturaliter prænunciat serenitatem; quæ vesperi, pluuiam.

De Anima, eiusq; potentijs in communi.

237. RErum omnium naturalium, etiamsi cœlos in ijs comprehendamus, nobilissimum est corpus animatum, aut viuens, quod animâ tanquam formâ constituitur. Porro anima non est ignis, aut vllum aliud ex vulgatis Elementis, aut aliquid ex Elementis conflatum, non quatuor qualitatum primarum temperamentum aut harmonia, non sanguis, non deniq; corpus vllum.

238. Rectè descripsit Aristoteles animam in communi: Actum primum corporis organici potentia vitam habentis. Itemque; Id, quo primo viui-

mo viuimus, ſentimus, mouemur, & intelligimus. Neutra autem ex his definitionibus conuenit formis ſolùm aſſiſtentibus, ſed ſolùm informantibus. Prima demonſtratur per ſecundam, ſub vna ratione à priori ſub alia à poſteriori.

239. Nomine Corporis, in priori animæ definitione intelligi rectè poteſt, tum id quod animæ præſupponitur tanquam ſubiectum, tum id quod per animam ſub ratione generica acceptam conſtituitur: illius videlicet anima actus eſt informans, huius conſtituens.

240. Animarum, & viuentium partitiones variæ aſſignari poſſunt: rectè verò Ariſtoteles animam in Vegetatiuam, Senſitiuam, & Rationalem diuiſit. Viuens autem, ſiue animatum corpus, in Vegetatiuum, Senſitiuum, loco motiuum, & intellectiuum. Vnde meritò dicitur tria eſſe genera animarum, & quatuor gradus animatorum.

241. In ſingulis viuentibus, vna ſolùm realiter anima eſt, ratione plures. Non ergo in ipſis, ſicut nec in vllo alio compoſito tot ſunt formæ ſubſtantiales, quot prædicata quiditatiua. Sed neq; forma generica corporeitatis, aut mixtionis, aut organizationis ab anima, ſiue à forma ſpecifica realiter diſtincta, admittenda eſt.

242. Nullæ etiam in viuente ſunt formæ ſubſtantiales partiales, ab anima omnino diſtinctæ, quæ vel diſponunt materiam ad animam, vel ſimul cũ anima informent, aut cõſtituant partes organicas, & heterogeneas.

243. Anima rationalis, eſt formaliter ſenſitiua, vegetatiua, & forma corporeitatis; quanquam dici etiam poteſt, continere hæc prædicata ſolùm eminenter, aut virtute. Anima etiam ſenſitiua bruti, eſt tum formaliter, tum eminenter vegetatiua, & forma corporeitatis.

244. Omnes Animæ præter rationalẽ ſunt coëxtenſæ materiæ quantæ, & diuerſis partibus ſuis; diuerſis quantitatis partibus reſpondent. Animæ tamen brutorum perfectorum, non immeritò dicuntur impartibiles. Anima rationalis tota eſt in tòto corpore humano, & tota in qualibet parte corporis, ſi tamen totum dici poteſt, quod ex ſe nullas in ſe habet, nec habere poteſt partes.

245. Lapides ac metalla ſunt res planè inanimatæ, ſicut & Elementa. Plantæ animâ ſolùm vegetatiuâ præditæ ſunt. Quæ dicuntur Zoophyta ſeu plantanimalia vitâ viuunt ſenſitiuâ.

246. Non omnia quæ quomodocunq; cenſentur partes integrantes viuentis informantur animâ, aut propriè viuunt: nã in animali ſanguis, cũ reliquis tribus humoribus, lac, ſemen, adeps, ſæuum, ſpiritus vitales animaleſq;, & alia quædam, non ſunt propriè animata. 247. Cri-

247. Crines, vngues, rostra, cornua, dentes, valde probabile est animata esse, & quidem anima totius animalis, non autem sibi peculiari. Nullum tamen hæc habent sensum sicut nec ossa.

248. Potentiæ animæ, id est principia proxima & immediata vitalium operationum, rectè diuiduntur in quinq; genera, in vegetatiuum, sensitiuum, appetitiuum, loco motiuum, & intellectiuum. Possunt etiam aliæ ipsarum partitiones dari magis immediatæ, vt si diuidantur in materiales & spirituales, Organicas & Inorganicas, in actiuas & passiuas, rationales, & irrationales, &c.

249. Hæ potentiæ distinguuntur realiter ab anima. Quæ inorganicæ sunt, subiectantur immediate in ipsa anima: organicæ in materia, cum dependentia in fieri, & esse ab anima: ideòq; meritò dicuntur esse in coniuncto. Profluunt ab anima, per veram emanationem, earum tamen effectio attribuitur causæ efficienti ipsius animæ.

250. Dicuntur potentiæ vitales, specificari ab actibus & obiectis, quatenus pro fine habent actus, circa determinata obiecta, & à nobis cognoscuntur & distinguuntur per ordinem, ad actus, & obiecta. Hoc vero non ita intelligendum est quasi pro diuersitate specifica actuum, & obiectorum, potentiæ specie distinguendæ, aut multiplicandæ sint.

251. Actus qui dicuntur vitales, solùm quo ad modũ possunt fieri à solo Deo, ita vt viuens corporeum ad illos merè passiuè se habeat; aliqui etiam fieri possunt ab Angelis in corporibus assumptis, sed si ita fierent, non dicerentur propriè vitales, nec denominarẽt operans ipsum viuens corporeũ.

252. Probabilius est sensationes, intellectiones, & alios huiusmodi actus vitales quo ad substantiam, nullo modo esse posse, vel in ipso viuente, vel in alio subiecto extrinseco à solo Deo, aut sine concursu actiuo potentiæ vitalis proportionatæ.

253. Non solùm potentia vitalis organica per totum corpus diffusa, sed etiam quæ in vna solùm certa parte corporis residet, & potentia inorganica potest plures simul exercere actus vitales circa diuersa obiecta, siue diuersæ, siue eiusdem speciei.

De Animæ vegetatiuæ potẽtijs & operationibus.

254. Anima vegetatiua, quâ talis, tres habet potentias vitales principales, à calore naturali, & primarum qualitatum temperamento realiter distinctas, Nutritiuam, Augmentatiuam, Generatiuam.

F Prima quo

Prima pro fine habet conseruationem viuentis in indiuiduo; secunda perfectionem in magnitudine; tertia conseruationem in specie.

255. Præter has, dantur etiam potentiæ quas vocant administras, aut seruientes nutritioni attractiua, retentiua, expulsiua, concoctiua seu digestiua. Admittẽda est etiã in animalibus perfectis potentia vitalis, à qua est pulsus cordis, & arteriarum, spirituũ confectio, ac distributio, respiratio.

256. Potentia generatiua non solùm quæ est in semine siue coniuncto viuenti, siue separato; sed etiam quæ est in ipso viuente ad generandum semen, distinguitur realiter à nutritiua, & augmentatiua, quas etiam inter se eodem modo distingui probabilius est. Potentiæ administræ, non omnes ad inuicem re ipsa distinguuntur.

257. Nutritio toto vitæ tempore durat per se loquendo, non item augmentatio propriè dicta; vnde distinguitur communiter triplex tempus. Primum augmenti, quòd in hominibus complectitur infantiam, pueritiam, & adolescentiam. Alterum status, quod absoluitur iuuentute, & in virili ætate. Postremum decrementi quo continetur senectus.

258. Alimentum verè & propriè in nutritione vertitur in substantiam viuentis, etiam hominis, nec credibile est, quod graues aliqui authores sibi persuaserunt, ab anima cuiusq; hominis informari solùm certam aliquam partem materiæ; illam videlicet, quæ in Adamo primo omnium hominum parente extiterit, & ab ipso per generationem communicata sit, nullam verò alimenti partem in hominis substantiam transire.

259. Vt viuens dicatur idem numero, toto tempore nutritionis; atq; adeò tota vita, non est necesse remanere in ipso partes aliquas primigeneas, aut spermaticas, easdem in entitate, quas ab initio habuit, aut quæ continua actione alimenti, & caloris naturalis, resolutæ non fuerint.

260. Homo maiorem habet vnitatem & identitatem toto vitæ tempore, quàm quoduis aliud viuens, est ergo quandiu viuit semper idem numero, quia semper retinet eandem numero formam indiuisibiliter, & quia quamuis materia successiuè in ipso varietur, tamen in locum eius quæ labitur, nouæ partes semper succedunt, non mutato situ, ordine, figurâ, estq; eadem per continuationem.

261. Viuens vitâ vegetatiuâ, necessariò constat materiâ quæ sit principium corruptionis, eiusdemq; rationis cum ea, quæ est alimenti; vnde neq; corpus physicè simplex, si daretur, neq; id quod componitur ex materia cœlesti potest propriè nutriri, aut esse cibus vel nutrimentũ viuentis.

262. Accidentia per se non possunt esse cibi, aut esculenta, sicut neq; pura ele-

pura elementa, nec metalla, nec lapides. Quod vni viuenti est alimentũ, interdum alij, siue diuersæ speciei, est medicamentum, alij venenum.

263. Consuetudine, & arte fieri potest, vt quod omnibus viuentibus eiusdem speciei venenum est, vni alicui salutare sit, & nocere non possit. Sic Mitridates veneno se necare voluit, sed non valuit.

264. Fames rectè describitur. Appetitus calidi & sicci. Sitis verò Appetitus frigidi & humidi. Ex quatuor humoribus solus sanguis est proxima materia nutritionis, in animalibus sanguineis. Secundæ humiditates non differunt à sanguine essentialiter. Probabile est ventriculum nutriri proximè Chylo.

265. Quòd homo naturæ viribus non semper viuat, sed sit necessariò obnoxius senectuti, & tandem morti, non prouenit ex eo solùm quòd ignoret quæ sibi vtilia, quæ inutilia & noxia: non ex eo, quòd partes materiales quibus constat in sua naturali dispositione acceptæ inter se pugnent, hominemq; tandem interimant: non ex eo quòd calor insitus, & naturalis humidum radicale debilitet & tandem consumat.

266. Prouenit ergo in homine necessitas moriendi ex alimentis, quibus ad sui conseruationem indiget, eorumq; excrementis, ex ambientibus, ex qualitatibus intrinsecis sui temperamenti in gradibus præternaturalibus acceptis. Mors naturalis, quæ videlicet per se oritur, ex communi lege animalis paulatim senescentis, & tandẽ intereũtis deficiente intrinseco principio vitæ, ex reciproca actione alimẽti dari potest absq; vllo morbo.

267. Augmentatio fit secundùm omnes partes per se loquendo. Dicitur fieri secundùm formam, non secundùm materiam, quia semper viuens dum augetur retinet essentiam, denominationem, ac figuram suarum partium, nomine formæ significatam, etiamsi entitas ex quibus dictæ partes componuntur accepta in indiuiduo (qua ratione exprimitur nomine materiæ) semper varietur.

268. In augmentatione non acquirit viuens illam numero quantitatẽ, quæ fuit in alimento, sed aliam illi persimilem, quæ ex alimenti materia resultet, & animam consequatur. Alimenti materia, & quantitas noua, vnitur materiæ & quantitati viuentis non mediante aliquo modo vnionis, ex natura rei distincto, sed seipsa.

269. Anima inducitur in materiã alimenti, eamq; consequitur quantitas, aliquando in instanti, aliquando continuè & successiuè. Rectè tamẽ augmẽtatio & diminutio dicũtur esse motus, natura sua cõtinui & successiui.

270. In augmentatione & diminutione procedi non potest in infinitum, ha-

tum, habent enim viuentia terminos certos magnitudinis & paruitatis, ratione propriæ formæ, quos naturæ viribus non possunt excedere, & idem de corporibus omnibus naturalibus etiam homogeneis, atque adeò de elementis dicendum est.

271. Non omnia viuentia potentiam habent generatiuam, immò nec omnia animalia. In formatione humani corporis, tres animæ realiter distinctæ successiuè producuntur. Primum vegetatiua, tum sensitiua, postremò rationalis; sed ad aduentum animæ perfectioris, corrumpitur imperfectior. Generatio viuentium propria, est processio viuentis, à principio vitæ coniuncto, in similitudinem naturæ.

De Anima sensitiua & rationali.

272. ANima sensitiua, quæ videlicet principium primum est sensationum, & operationum, consequentium sensationes, triplicem habet potentiam cognitiuam quæ sensus dicitur, diuiditurq; in externum, & internum, appetitiuam, & loco motiuam, ad quarum operationes ipsa per se immediatè non concurrit.

273. Ad sensationes, tam internas, quàm externas, sicut & ad intellectiones requiruntur, & actiuè concurrunt species intentionales, quæ impressæ dicuntur, neq; tamen aut sensatio, aut intellectio est solùm receptio speciei, neq; datur sensus agens, productiuus specierum.

274. Externi sensus quinq; sunt specie; Visus, Auditus, Odoratus, Gustus, Tactus. Interni quatuor, Sensus communis, Phantasia, Æstimatiua & Memoria. Non omnia animalia hos omnes sensus habent. Alij sensus, sine tactu esse non possunt.

275. Sensibile aliud proprium est, quod vnico solùm externo sensu: aliud commune quod pluribus, vel etiam omnibus sensibus percipi potest. Sensibile commune, non imprimit sensui speciem peculiarem, à specie sensibilis proprij distinctam. Nullo modo potest sentiri sine proprio, sicut nec proprium sine ipso.

276. Circa sensibile commune contingere potest deceptio; circa proprium, si debitè applicetur potentiæ rectè dispositæ, non item. Substantiam spiritualem aut materialem quidem, sed ad indiuisibile redactam, vel omnibus accidentibus (per possibile vel impossibile) priuatam, sensu aliquo, siue externo, siue interno percipi, omnino repugnat.

277. Visio, non fit per radiorum emissionem, sed per specierum ab obiecto

obiecto visibili, & ipsius actus videndi receptionem. Vt fiat Echo non est necessarium produci nouam vocem, aut sonum vbi fit Echo, sed satis est reflecti species intentionales audibiles eiusdem soni: sicut idem obiectum visibile in pluribus locis videtur, ex sola reflexione specierum.

278. Somnus est ligatio quædam sensuum externorum, orta ex defatigatione, nimia intentione, maximè verò ex euaporatione, obstructioneque meatuum, per quos spiritus animales ad sensationes externas necessarij excurrunt. Vigilia est eorundem sensuum solutio.

279. Externis sensibus ligatis, possunt non ligari omnes interni, hinc fiunt somnia, in quibus habet quidem interdum homo aliquem rationis vsum, sed nunquam plenum, aut perfectum naturæ viribus.

280. Supernaturali Dei virtute, potest homo dormiens perfectissimam habere contemplationem, taliq; præditus esse habitu scientiæ, ac prudentiæ, qui ex sua natura somno non impediatur in operando, & quo dirigatur voluntas in actibus deliberatis, maximèq; honestis, ac meritorijs.

281. Anima rationalis est spiritualis, natura sua incorruptibilis, atque immortalis, formaq; propriè informans, etiam in sententia Aristotelis, & grauiorum Philosophorum. Numericè multiplicatur ad hominum multiplicationem. Non præexistit homini per ipsam constituto, eo tamen corrupto, naturaliter superstes est.

282. Anima rationalis pollet intelligentia, & libertate. Intelligit per species immateriales, ab intellectu agente, non verò ab obiecto productas. In corpore existens, nihil intelligit naturaliter, nisi cooperante Phantasia. Probabilius est intellectum agentem, re distingui à possibili, hunc autem idem esse cum memoria intellectiua.

283. Ad vsum libertatis, quoad exercitium, & specificationem non satis est indifferentia iudicij sed requiritur, vt voluntas positis omnibus requisitis, possit ex intrinseco dominio operari, & non operari; vel etiam actus specie diuersos, atq; adeò contrarios operari.

EX MATHEMATICA.

284. EX terra & aqua vnus globus est Physicè, non Mathematicè rotundus, cuius idem est magnitudinis & grauitatis, quod & totius vniuersi centrum. Existimant aliqui nimio impulsu facto, aut pondere adiecto in aliquo hemysphærio terram vniuersam concuti, aut moueri, sed id credibile non est.

285. Mare non habet planitiem, ſed rotunditatem vel partem rotunditatis. Pauimenta quæ ad perpendiculum æqualiter iacent, iacent inæqualiter, & illa ipſa regula quæ demonſtrat eſſe plana, probat eſſe partem figuræ circularis, oppoſitam figuræ planæ.

286. Ex hac orbis terræ rotunditate, & grauium naturæ ad centrum tendentium, fit, vt homo qui terram perambulat, plus itineris capite, quàm pedibus perficiat. Peluis aqua plena plus aquæ contineat, cùm eſt in loco inferiore, aut magis depreſſo, quàm cùm in loco editiore. Parietes domus ad perpendiculum erecti, quò magis in altum eriguntur, eò à ſe diſtant magis.

287. Terræ & aquæ globus ad cœlum Saturni, & ad alios ſuperiores cœlos comparatus, abſolutè loquendo aliquam proportionem magnitudinis habet, ſed quo ad noſtrum aſpectum, eſt inſtar puncti, vt quamuis maxima luce affectus eſſet, ab homine in firmamento exiſtente, videri præ exiguitate non poſſet.

288. Tanta eſt diſtantia terreſtris orbis à firmamento, vt homo qui mille annis viueret, & quotidie ex terra in altum aſcenderet ad ducenta milliaria, in fine vitæ nondũ ad firmamentum ipſum perueniret: & molaris lapis qui ex firmamento verſus terram cadere inciperet, vix intra nonaginta annos ad terram perueniret, etiamſi ſingulis horis centum milliarium ſpatium deſcendendo tranſmitteret.

289. Ex Aſtris planetaribus tria ſolùm infima, videlicet Venus, Mercurius & Luna, minora ſunt globo terræ & aquæ, quæ à Sole exceditur centies ſexagies ſexies, à Marte ſemel & amplius, à Ioue & Saturno nonagies & amplius. Ex ſtellis fixis multæ eundem globum magnitudine ſuperant, quinquagies, ſeptuagies, nonagies, centies, quæ minimè ante notabantur decies & octies. Sed iam beneficio tubi optici aliæ minores obſeruatæ ſunt.

290. Solis Aſtrum tanta celeritate rotatur, vt horæ vnius ſpatio vnum millionem, & centum quadraginta millia milliarium conficiat, quod tantundem eſt, ac ſi vna hora terræ ambitum circumcurreret quinquagies. Plus vna hora conficit ſpatij, quàm globus tormenti conficeret decem millibus horarum, etiamſi vniformiter moueretur. Stellæ verò fixæ circa æquinoctialem quadragecuplo celerius mouentur, quàm Sol.

291. Tanta vis eſt progreſſionis Geometricæ, vt ſi ſtipendia merenti in Moſchouia militi, vltimus Regni Poloniæ Senator daret vnum aureum, penultimus duos, antepenultimus quatuor, & ſic procedendo in dupla propor-

proportione, vsq; ad centesimum trigesimum; multo maior colligeretur aureorum cumulus, quàm sit globus ex infimis duobus elementis terra, & aqua conflatus.

292. Si Princeps quispiam oppidum cum pagis adiacentibus venderet, & ab emptore non amplius postularet, quàm vt in precium tot grana tritici, in dupla proportione sese excedentia daret, quot sunt dies in anno: primo scilicet die granum vnum, altero duo, tertio quatuor, & sic consequenter; non solùm horreis totius mundi frumentum illud non caperetur, sed ne in concauo quidem firmamenti posset contineri.

EX ETHICA.

293. AFfectus animi, siue affectiones, sunt actus appetitus sensitiui ex apprehensione boni, vel mali conuenientis. Dicuntur passiones, non quòd non sint veræ actiones, sed quòd cum aliqua corporis præsertim cordis, ac spirituum immutatione coniunctæ sunt. Dicuntur etiam perturbationes, quia iudicium rationis, nisi moderatæ sint, perturbare solent.

294. Stoici virum perfectum, quem sapientem vocant, omni prorsus affectu carere debere, affectusq; malos esse existimant. Melius Peripatetici, affectus nec malos, nec bonos, sed naturales esse decernunt, non radicitus euellendos, sed iuxta præscriptum rectæ rationis moderandos. Id cùm factum fuerit, virum esse perfectũ; passiones in virtutes transisse.

295. Ea est inter virtutes morales connexio, vt nulla ipsarum, sine alijs omnibus, vel plerisque: aut sine aliqua habilitate in materia aliarum perfecta omnino esse possit.

296. Nulla virtus moralis, potest esse sine prudentia. Virtutes intellectuales, prudentia excepta, possunt esse sine moralibus, & hæ sine intellectualibus. Ad acquirendam virtutem non satis est, quomodocunque operari circa ipsius materiam, sed requiritur operatio ex motiuo proprio, aut fine talis virtutis.

297. Fælicitatem hominis in hac vita, non malè Aristoteles & Peripatetici, in operatione circa perfectissimum obiectum ex virtute optima collocârunt, ad eamque, si sit hominis, ciuilem & polyticam vitam ducentis, externam aliquam bonorum prosperitatem, tam corporis, quàm fortunæ necessariam esse, statuerunt.

298. Longè verò melius Religio Christiana pro hoc vitæ statu fælicitatem

citatem hominis in eo agnoscit, in quo se quis aptiorem ac viciniorem facit ad æternam, quæ in intuitiua Dei visione consistit.

EX LOGICA.

299. ENunciatio, est oratio verum, vel falsum significans. Non solùm Enunciationes in materia necessaria, & remota; sed etiam in materia contingenti, siue sint vniuersales, siue singulares, siue de præterito & præsenti, siue de futuro, sunt determinatè veræ, vel falsæ, saltem determinatione sumpta ex ipsa futuritione effectus. Neque hoc negauit Aristoteles.

300. Ad discursum mentis, necessariò requiruntur plures cognitiones, immò plura iudicia compositiua Intellectus, inter se realiter distincta; discursus tamen formaliter sumptus, est simplex qualitas, sicut & Enunciatio. Syllogismus, est Oratio in qua quibusdam positis, & concessis aliud quid à positis, necesse est contingere, eo quòd hæc sint, ac proinde includit intrinsecè, & essentialiter conclusionem.

LAVS DEO, BEATISSIMÆ VIRGINI.

Aula zaklad... Exeat ex aula qui cupit &c.

Disputabuntur in Aula Maiori eiusdem Collegij, Anno 1618. Mense Iunio, Die 3